CHRONOLOGIA CHRISTIANA

DE CHRISTO NATO ET REBVS GESTIS ANTE ET POST eius Natiuitatem.

Autore P. IACOBO GRANDAMICO *Nannetenſi, è Societate* IESV, *Doctore & Profeſſore Theologo.*

EDITIO SECVNDA.

TRIBVS VOLVMINIBVS.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, ad inſigne Angeli Cuſtodis.

M. DC. LXVIII.

Cum Priuilegio Regis, & Superiorum Facultate.

Digitized by Google

CHRONOLOGIÆ CHRISTIANÆ

PARS PRIMA.

DE DIE SVPREMO & Natali Chriſti.

QVÆSTIO EVANGELICA.

IN QVA ASSERITVR PERFECTA conſenſio Annorum Chriſti & Æræ communis, in Eccleſia à mille & amplius annis vſu recepta.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ã ij

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la Grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans Nos Cours de Parlement, Grand-Conſeil, Requeſtes de Noſtre Hoſtel & du Palais, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers, ou Officiers qu'il appartiendra : SALVT. Noſtre cher & bien-amé le R. P. GRANDAMY de la Compagnie de IESVS, Nous a fait remontrer qu'il a composé vn Livre intitulé *Chronologia Chriſtiana*, qu'il deſireroit faire imprimer s'il Nous plaiſoit luy en accorder la Permiſſion, requerant nos Lettres ſur ce neceſſaires : A CES CAVSES deſirant fauorablement traitter ledit Expoſant : NOVS luy auons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes de faire imprimer ledit Liure par l'vn des Imprimeurs par Novs choiſis & reſeruez, vendre & debiter ledit Liure par tous les lieux de noſtre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries de noſtre obeyſſance, durant le temps & eſpace de *ſept années*, à compter du iour qu'il ſera acheué d'imprimer, pendant lequel temps Nous faiſons tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Imprimeurs, Libraires, & autres Perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Liure, ſous pretexte de changement, augmentation, ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mil liures d'amende applicables vn tiers à Novs, vn tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant, confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous deſ-

ã iij

pens, dommages & intereſts au profit dudit Expoſant, à la charge de mettre deux Exemplaires dudit Liure en noſtre Biblioteque publique, vn en celle du Cabinet de nos Liures en noſtre Chaſteau du Louvre, & vn en celle de noſtre cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. Si Vovs mandons & enioignons que ces Preſentes vous ayez à regiſtrer, & du contenu en icelles faire joüir & vſer ledit Expoſant, & ceux qui auront droit de luy pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Liure, vn Extrait des Preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées à tous qu'il appartiendra. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits requis & neceſſaires, ſans pour ce demander autre Permiſſion. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Donné à Saint-Germain en Laye le vingt-ſixiéme iour d'Aouſt l'an de Grace mil ſix cent ſoixante-huit, & de noſtre Regne le vingt-ſixiéme.

Par le Roy en ſon Conſeil,

DVMOLEY.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le treiziéme iour d'Octobre 1668.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté.

Digitized by Google

Facultas R. P. Prouincialis.

IACOBVS BORDIER Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre IOANNE PAVLO OLIVA, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali, permitto vt Typis mandetur liber inſcriptus *Chronologia Chriſtiana*, ſcriptus à P. IACOBO GRANDAMY Societatis noſtræ Sacerdote, & à tribus huius Prouinciæ Theologis approbatus. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas. Dedimus Pariſiis 25. Februarij 1666.

IACOBVS BORDIER.

ROMA

Digitized by Google

REGI REGVM

IESV CHRISTO.

REGI

Digitized by Google

REGI REGVM
IESV CHRISTO.

O FONS lucis, æterna Sapientia, & increata Veritas, grates tibi ago immortales, quas debeo; da ut animo ſentiam, & factis prodam, ſicut tu mereris: fac ut parem beneficio gratitudinem, quam ſine te nequeo, per te reddam.

Dediſti lucem in tenebris denſiſſimis; feciſti, ut in quæſtione obſcuriſſimâ, & multis implicatâ erroribus, veritas ſplenderet ipſa per ſeſe, quæ dubia penetraret, & diſſiparet obſcura tantâ luce intelligen-

Digitized by Google

tiæ, ut veſtita tuis radiis, & ſapientiæ tuæ ipſius ornamentis inſtructa jure merito videri poſſit.

Calumniam generalem vulgò patiebatur Eccleſia tua, & mendacij inſimulabatur totus Orbis Chriſtianus ex eo, quòd annos tuos ad Aeræ communis formam numeraret. Ferebant injuriam patienter indocti, quam prout quiſque ſibi ſapientior & doctior videbatur, eò graviùs inurebat, quò inexpugnabilibus, ut jactabat, argumentis inſultabat.

Contra veritatis Evangelicæ fidem pronunciabatur dies Nativitatis & Mortis tuæ contigiſſe, & adversùs notas infallibiles, quas ipſe libris ſacris impreſſeras, autoritas profanorum mendax opponebatur, tacentibus fere omnibus, annuentibus pleriſque, doctiſſimis quibuſque præeuntibus, nemine prope vel uno repugnante,

Digitized by Google

qui ex profeſſo veritatis & Eccleſiæ defenſionem ſuſcipere palam auderet.

Affulſiſti, ſumma Veritas; avulſiſti mendacio larvam, quâ ſe occultabat; & calumniam, quam error imprimebat Eccleſiæ tuæ, in errorem ipſum, qui eam oppugnabat, retorſiſti. Clarum feciſti & diem, quem naſcendo illuminaſti; & annum, quo Sole ipſo obſcurato mortem pro nobis ſuſcepiſti. Et jam licet apertè atque audacter profiteri verè te natum ante annos ab hoc ſeculo mille & ſexcentos. Iam licet Aeræ communis rem tueri, & nomen mutare confidenter, & de tuo nomine ſine ſuſpicione mendacij, aut periculo reprehenſionis, verè Chriſtianam nuncupare.

Feciſti, Lux æterna, ut error cederet veritati, tenebræ lumini, & ut Orbis Chriſtianus gauderet ſe in Evangelicâ veritate diſcere tempus Adventûs tui, & characteres,

quos

quos ad notitiam mortis tuæ propoſueras, diſcuſsâ caligine profanarum opinionum, claros & evidentes tenere.

Opus iſtud agnoſce tuum, ego meum dicere non poſſum, niſi quia tu dediſti: gratias ideo ſummas debeo, referóque quàm poſſum maximas; & gratiarum hæc ſumma ſit, quòd Veritatem ipſi reddo Veritati; hoc eſt, CHRISTO IESV, Regi Regum Quæſtionem Evangelicam de Die Supremo, & Natali Regis Chriſti, cum perfecta conſenſione annorum vitæ ejus & Aeræ communis.

Digitized by Google

SVMMO PONTIFICI
ALEXANDRO
SEPTIMO.

PAtere, BEATISSIME PATER, ut ad Tribunal ſe ſiſtat tuum Evangelica Quæſtio de Die Supremo, & Natali Chriſti, ut à Sede veritatis ſententiam veritatis accipiat, & Apoſtolicum Iudicium Evangelij teſtimonium confirmet.

Romana Eccleſia, cui TVA SANCTITAS digniſſimè præſidet, à mille atque ampliùs annis, annos ſuos numerat à Chriſti Natalibus: nec aliud caput Æræ communis, quàm ſalutis humanæ à Salvatore in lucem edito, cognoſcit. Eam formam numerandi annos multi viri

docti tam ſuperiore, quã hoc ſeculo, examinarunt, plures reprobaverunt, pauci omni ex parte defenderunt.

Vocatus non ita pridẽ in judicium apud Summum Pontificem Clementem V. Alphonſus Toſtatus, eo ſolo nomine, quòd Chriſti Paſſionem non in menſe Martio, ſed in Aprili fixiſſet. Sed ita ipſe ſuam ſententiam probavit, ut planè innocens, & ab omni errore liber fuerit dimiſſus.

Rogarem ergo libenter SANCTITATEM TVAM, ut ſententia hæc noſtra, quæ Chriſtum paſſum die tertiâ menſis Aprilis, anno ætatis & Æræ communis triceſimo tertio; & baptizatum anno ſimiliter ætatis & Æræ ejuſdem triceſimo; ideóque natum & circunciſum circa initium Æræ com. ut inquam hæc ſententia in Cõſilio Sedis Apoſtolicæ diligenter examinetur, & à Theologis Pontificiis contrariæ opinionis fundamẽta non leviter excutiantur. Planè confido, nixus evidentiâ verita

tis

tis, fore ut VESTRA SANCTITAS noſtram approbet, aliis contrariis, ut in materia ad uſum & ſenſum Eccleſiæ ſpectante, repudiatis.

Certè polliceri VESTRÆ SANCTITATI jure poſſum in hoc uno libello aperuiſſe me fontes errorum, qui magnos viros Baronium, Scaligerum, Petavium, alióſque non paucos nec ignobiles, in fraudem induxerũt. Euſebij locus illuſtris, de Eclipſi in Chriſti morte facta, ſuæ integritati reſtitutus, Olympiadis & Tiberij annum certum deſignat. Epiphanij obſcura ſententia, & multis locis corrupta, Cycli vitium iis autoribus adimit, qui ejus vitio characteres Evangelicos convellere moliebãtur. Error cõmunis de baptizato æquè ac mortuo Chriſto ſub Conſulatu Geminorum diſcuſſus, & Tiberij 15. non Baptiſmo Chriſti, ſed Ioannis Prędicationi deſignatus, ſuadet Chriſtum anno ætatis & Æræ com. 30. baptizatum. Ioſephi autoritas circa mor-

ē

Digitized by Google

tem Herodis multis in locis apertè mendax,ut & Dionis clarum vitium circa Iuliæ relegationem,& Caij Cęſaris in Syriam profectionē, non plus valent adversùs annum Nativitatis Chriſti legitimũ, quàm teſtes apertè falſi advers⁹ innocentem, aut tabulæ manifeſto errore corruptæ adversùs teſtamentum, ſervatis legibus & debitis conditionibus obſignatum.

Hæc ego, SANCTISSIME PATER, filiorum tuorum minimus, ad tuæ Sãctitatis pedes provolutus,cum ſumma animi demiſſione reprę ſento, digna quæ conſideres,& ad Cõſilium voces: & ſi vera repereris,autoritate Apoſtolicâ pronuncies eſſe tenenda, caveásque ut in poſterum nemo Eccleſiam reprehendat, aut Chriſtianũ Orbē accuſet, quòd annos Chriſti & Æræ com. pro iiſdem habeat. Hoc ſi feceris, Anteceſſores tuos in ordinãdis Dominicæ Reſurrectionis diebus,& Calendarij vitiis reformandis, tam piè quàm ſapienter imitaberis.

REGI

Digitized by Google

REGI CHRISTIANISSIMO
LVDOVICO XIV.
ADEODATO.

ANNOS olim numerabat Gallia ſuos variis à Capitibus, quandoque à Pharamondo Regum Autore, quandoque à Clodouæo primo Rege Chriſtiano, quandoque ab obitu Sancti Martini Antiſtitum ſuorum nobiliſſimi, quandoque ab aliis initiis, prout ſua quemque vel ratio vel inclinatio movebat, relicto legitimo ac ſupremo Capite Chriſto Rege, à cujus Nativitate Eccleſia fere univerſalis annorum exordia ſuorum repetebat.

Quæ cauſa fuit Carolo Nono, ſapientiſſimo juxta ac piiſſimo Principi, ut Edicto Regio ſanciret, ne deinceps in toto Galliæ Regno Chriſtianiſſimo, neque in publicis Actibus, neque in privatis contractibus, aliunde anni, quàm à Chriſti Domini Nativitate conſignarentur. Decet enimverò ut Primogenitus inter Reges Eccleſiæ filius matrem ſequatur, & cum ea Chriſtum agnoſcat ſuæ omnis dignitatis & autoritatis Principem; idque vel in eo teſtetur, quòd annos ſalutis ſolos agnoſcat, eósque à ſolis Salva-

Digitized by Google

toris Natalibus repetendos edicat. Et hoc quidem à Carolo cautum eſt ſapientiſſimè, & in Gallia ſervatur exactiſſimè. Verum ſunt qui nos, & Eccleſiam ipſam vel mendacij inſimulant, vel erroris accuſant, quòd annos à Chriſti Nativitate non ritè numeret, & annum quem præſentem ducimus, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, non ſexageſimum primum, ſed ſexageſimum tertium, vel etiam ſexageſimum quintum eſſe contendunt.

Hic ſe tibi, REX CHRISTIANISSIME, offert Quæſtio de Die Supremo & Natali Chriſti. Hæc Quæſtio Eccleſiæ & Regni tui ſententiam defendit, & exactam conſenſionem annorum Chriſti cum forma annorum, quam Chriſtianus Orbis totus obſervat, contra eam reprehendentes propugnat.

Hæc ſe tibi probandam profert; & ſi placere oſtendas, ſi tuo nomine munitam velis, ſi tuâ autoritate ſecuram facias, rem ſanè Chriſtianiſſimo Principe dignam, dignam Eccleſiæ filio Primogenito, dignam Sancti Ludovici Herede, dignam Rege ad Orbis Chriſtiani pacem & felicitatem A DEO DATO præſtabis.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

PROOEMIVM.

Status Quæſtionis, pagina 1.

LIBER PRIMVS.

De Morte Chriſti anno 33. Æræ communis, die 3. Aprilis, pag. 5.

CAPVT PRIMVM.

Prima Ratio. *Paſſus eſt Chriſtus in Plenilunio Paſchali, feriâ ſextâ*, pag. 6.

CAPVT SECVNDVM.

Secunda Ratio. *Paſſus eſt Chriſtus eo anno & die, quo defectio Solis omnium maximè admirabilis contigit*, p. 14.

CAPVT TERTIVM.

Tertia Ratio. *Paſſus eſt Chriſtus in anno medio ſeptuageſimæ hebdomadis à Daniele morti Meſſiæ deſignatæ*, p. 31.

CAPVT QVARTVM.

Referuntur, & refelluntur aliorum pro aliis annis Æræ communis ſententiæ, pag. 41.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De annis 29. & 30. pag. 42.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De anno 31. pag. 45.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

De annis 32. & 34. pag. 77.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De annis 35. & 36. pag. 88.

LIBER SECVNDVS.

De Morte Chriſti anno ætatis 33, pag. 91.

Digitized by Google

Index Capitum.

CAPVT PRIMVM.

Prima Propoſitio. *Chriſtus baptizatus eſt anno communis Æræ 30. ineunte,* pag. 93.

CAPVT SECVNDVM.

Secunda Propoſitio. *Chriſtus baptizatus eſt anno ætatis 30.* 97.

CAPVT TERTIVM.

Tertia Propoſitio. *Chriſtus mortuus eſt anno ætatis 33.* 107.

LIBER TERTIVS.

De Chriſti Natiuitate ad initium Æræ communis, pag. 111.

CAPVT PRIMVM.

Quo anno Auguſti Chriſtus natus, pag. 112.

CAPVT SECVNDVM.

Quo anno Vrbis conditæ, & quibus Conſulibus Chriſtus natus, 119.

CAPVT TERTIVM.

Quo anno Herodis Chriſtus natus,

Paragraphus primus.

Variæ ſententiæ circa annum quo Herodes vitâ exceſſit, pag. 129.

Paragraphus Secundus.

Variæ ſententiæ circa annum Natiuitatis Chriſti, pag. 138.

Paragraphus Tertius.

Prima Claſſis. De anno Iuliano 44. pag. 142.

Paragraphus Quartus.

Secunda Claſſis. De anno Iuliano 43. pag. 144

Paragraphus Quintus.

Tertia Claſſis. De anno Iuliano 41. pag. 153.

CAPVT QVARTVM.

Concluſio Operis, & perfecta Æræ communis, & annorum Chriſti conſenſio, pag. 158.

CAPVT QVINTVM.

Connexio temporum cum annis Chriſti, pag. 179.

Epilogus, pag. 196.

DE DIE

20. ago. M. 91.

DE

DIE SVPREMO

ET NATALI CHRISTI.

QVÆSTIO EVANGELICA.

IN QVA ASSERITVR PERFECTA conſenſio annorum Chriſti, & Æræ communis, in Eccleſiâ à mille, & amplius annis uſu recepta.

PROOEMIVM.

STATVS QVÆSTIONIS.

I.

SCRIPSI ante annos aliquot de ſumma Dei in Chriſto gloria Tractatus Evangelicos numero viginti, cum ſuis præfationibus; & ij quidem judicio Superiorum probati, mora Librariorum lucem diu expectarunt, & auram pacis commercio faventem. Eſt inter eos pene ultimus Tractatus de Chriſto Rege, cui velut Appendix hæc mihi Quæſtio viſa eſt adjungenda, ea continens de Chriſti Natali die & vitæ Supremo, quæ in eo Tractatu locum commodè non habebant, ſive rationem materiæ, quæ hiſtorica eſt, ſive diſſerendi modum, qui polemicus, & controverſarum diſputationum formam tenet, ſpe-

Appendix ad Tractatum de Chriſto Rege.

ſtarem : ſeparatam igitur illam edere placuit, & quia longè brevior, & paratior, prior debuit prælum ſubire.

At quamquam modus agendi, ac materia ipſa quæſtionis hujus alia ſit ab eà, quam in aliis ſcriptis uſurpo, finis tamen & inſtitutum idem planè eſt Dei gloria, & Chriſti Regis commendatio ſingularis.

Finis, gloria Dei, & Chriſti Regis.

Et ſanè maximè ſpectat ad Chriſti Regis decus, Deique gloriam, non ſolùm ut æterni ejus regni felicitatem nullis temporum finibus circumſcriptam intelligant Chriſtiani, ad ſpem futuræ cum eo beatitudinis; verùm etiam, ut ad fidem hiſtoriæ, & notitiam veritatis, conſignetur in Tabulis Eccleſiaſticis quibus terminis vita ejus temporalis definita ſit: quo die in lucem venerit, quo die paſſus vivere deſierit, quomodo & qua certitudine Æra, quæ dicitur Communis Chriſtianorum, cum annis & ortu Chriſti connexa ſit, & quomodo ad ejus leges reliquæ omnes rationes temporum, tanquam ad primam & nobiliſſimam, revocandæ ſint: eo maximè nomine, quòd jampridem ab Eccleſia uſurpata conſtantiſſimè retinetur.

De ortu & obitu ſuorum Principum diſputant Prophani.

Plutarch. in Romulo. Cicero lib. 2. de Divin.

Mulerius in examine temp.

Keplerus in Tab. Rudol. pag. 46.

II. Diſputant Annales Prophani de ortu Romuli ſagaciter; quid matri, dum utero eum geſtaret, ab Aſtrologis prænunciatum, ſub quo ſigno Zodiaci, & qua cæli totius diſpoſitione natus fuerit & mortuus conſcripſerunt diligenter, & thema ipſum conceptionis & nativitatis ejus poſuerunt.

Diſputant de ortu Auguſti, ſcribunt paulò ante Solis ortum natum, in ſigno Capricorni, Lunà exiſtente ſub occaſum, atque ex hora nativitatis, & toto cœli ſtatu ampliſſimam ei fortunam à Nigidio præclaro Mathematico prædictam volunt; & natum obſeruant Cicerone Conſule 9. Cal. Octob. mortuum 14. Cal. Septemb. duobus Sextis Conſulibus, cum vixiſſet annos 75. dies 26.

Sigon. anno V. C. 766.

Plutarch. in Alexan.

Sueton. in Iulio.

Diſputant de Alexandro, de Iulio Cæſare, & aliis Principibus, ad quorum natales & obitus exordia temporum, & annorum celeberrimas Epochas, quaſi ad nota capita revocant. Anni Ægyptiorum à Nabonaſſare primordia

mordia ducunt, Olympiades ab Iphito, Romanorum primi à Romulo & Vrbe condita, Græcorum ab Alexandro, & qui omnium clariſſimi, & exactiſſimi habiti ſunt Iuliani, à Iulio nomen & exordium ſumpſerunt. Quin ab ipſo Diocletiano, licet infami propter effuſum Chriſtianorum Martyrum ſanguinem, Æra Diocletiana nuncupata eſt; & Mahumetani ſuam Hegiram à Mahumetis fuga conſignarunt.

Et ab iis Æras temporum ducunt.

Liceat igitur Chriſtianis, qui nihil in Rege ſuo vacuum myſterio, nihil ſine ſumma ſapientia factum meritò putant, Regis ſui Chriſti Natales inveſtigare: liceat intelligere quo anno, quo die natus & mortuus fuerit, liceat ad ejus annos rationem temporum accommodare, & Æram conſtituere, quæ ejus nomine Chriſtiana nuncupetur.

Chriſtiani à Chriſto Æram Chriſtianam nominant.

III. Controverſia hæc eſt nobilis, & nobiliſſimorum jam olim Scriptorum ingenia & calamos exercuit, & modò adhuc poſt multas lites & contentiones pacem inter partes non invenit, ſed multos habet in varias ſententias diviſos, plures pro ſingulis & illuſtres defenſores. Mei non eſt nec genij, nec otij, omnes ad longum opiniones recenſere, ut neque eas quæ minùs placent, oppoſitis fusè argumentis refellere. Satis erit ſi breviter quidem, at ſolidè, & perſpicuè demonſtravero quid in ea controverſia magis certum, & definitum haberi debeat. Et quidem circa diem mortis certiſſimè, circa diem verò nativitatis proximè ad eandem certitudinem effecturum me ſpero, ut evadat connexio clariſſima inter annos Æræ communis, quæ Chriſti dicitur, & annos ipſius Chriſti; exordio utrorumque in Calendis Ianuarij, quo die Chriſtus circumciſus eſt, conſtituto.

IV. Quærimus ergo quem locum in temporibus habeat Factor temporum, & quando Verbum Dei Filius coæternus Patri, per quem facta ſunt tempora, naſci temporaliter voluerit, & in tempore mori, ut vitæ æternitatem, & regnandi felicitatem ultra omnia tempora filiis Dei fratribus ſuis conferret.

Senſus quæſtionis.

 Non

Digitized by Google

Non enim ſine ſumma ſapientia, Sapientia ipſa Dei Patris, in cujus poteſtate, æquè atque in notitia, ſunt omnia tempora & momenta, tempus & momentum elegit, in quo, & naſcendo lucem hanc temporalem aſpiceret, & moriendo derelinqueret. Et quamvis conſilium, ſaltem totum illud ſuum, nobis non aperuerit, noluit tamen nos ignorare tempus Adventus ſui, aut Paſſionis, ut ex utroque caperemus & fidei certitudinem, & ſpei confirmationem, ut dignitatem perſonæ ex ſignis temporum promiſſis agnoſceremus, & beneficium Redemptionis ex indiciis anni, menſis & diei indubitanter aſſignatis cum certo fructu acciperemus.

Ordo tenendus.

Et quoniam, ut paulò ante inſinuavi, tempus Paſſionis adeo certis notis & characteribus indubitatis conſignatum eſt, ut apud me demonſtrationis etiam Mathematicæ locum habeat, ut ex certis & evidentibus ad minus clara gradum faciam, ordiar à Chriſti morte, & ex admodum convenienti connexione tempus Nativitatis, & Æræ communis cum Chriſti annis conſenſionem, educam, omnia ad Chriſti Regis gloriam, pro ea luce & facultate quam ipſe ſubminiſtrabit.

Tribus concluſionibus univerſam quæſtionis hujus doctrinam ſic paucis & apertè definio.

Summa operis tribus concluſionibus.

Prima Concluſio. *Chriſtus mortuus eſt anno triceſimo tertio Æræ communis, tertia die menſis Aprilis.*

Secunda Concluſio. *Chriſtus mortuus eſt anno quoque triceſimo tertio ætatis ſuæ.*

Tertia Concluſio. *Chriſtus natus eſt paucis diebus ante initium Aeræ communis, & circunciſus in exordio ejuſdem Æræ, Calendis ipſis Ianuariis.*

Ex tribus autem iis concluſionibus Libros tres hujus Operis conflabo, quibus ſingulis concluſiones ſingulæ explicabuntur.

Digitized by Google

DE DIE SVPREMO
ET NATALI CHRISTI.
LIBER I.

DE MORTE CHRISTI, ANNO TRICESIMO tertio Æræ communis, die tertio Aprilis.

ÆRAM communem appello, quam ferè omnes Chriſtiani intelligunt, & modò uſurpant in actis omnibus & contractibus, tam privatis quàm publicis tempore debito conſignandis. Cujus Æræ annus, quem feliciter exordimur, milleſimus ſexcenteſimus & ſexageſimus numeratur, Intercalaris, ſeu Biſſextilis, characteribus diſtinctus propriis, Dominicalibus literis D. C. Cyclo Solis 17. Cyclo Lunæ, ſeu Numero aureo 8. Epacta 18. Indictione 13. cujus anni prima dies Iovis fuit, & Dominica Reſurrectionis in diem Martij 28. inciderit. Æra communis quid? Characteres anni præſentis 1660.

Ejuſdem autem Æræ caput, ſeu Annus primus his aliis notis inſignitur, characteribus propriis eò uſque revolutis, Cyclo Lunæ 2. Cyclo Solis 10. Litera Dominicali B. poſt Biſſextilem proximè. Indictione 4. cujus prima dies Sabbati fuit, & dies Paſchæ Iudæis Luna 15. die 26. Martij, fer. item 7. ſeu die Sabbati. Hujus ergo Æræ anno 33. die 3. Aprilis paſſum fuiſſe Chriſtum totus hic Liber primus oſtendet, & quatuor duntaxat capitibus abſolvetur. Characteres primi anni Æræ communis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

PRIMA RATIO.

Paſſus eſt Chriſtus in Plenilunio Paſchali feriâ ſextâ.

I. CERTVM eſt Fide Evangelica Chriſtum eo anno mortuum, quo 15. Lunæ dies, ſeu Plenilunium, feſto Paſchæ ſacrum celebrabatur in Paraſceve Sabbati, ſeu feria 6. hebdomadæ.

At is annus erat Æræ communis 33. dies verò 3. Aprilis. Eàdem igitur certitudine tenendum eſt, Chriſtum eodem illo anno & die pro nobis diem vitæ ſupremum obiiſſe.

Lex Paſchatis celebrandi in Plenilunio.

Exod. 12.

Vſurpata à Chriſto.

Luc. 22.

Lege cautum erat apud Iudæos, ut cultu ſolemni atque perpetuo Paſcha celebraretur, & menſe primo die 14. ad. veſperam agnus cum ceremoniis legalibus comederetur: eàmque legem tam religiosè Chriſtus Dominus legis Autor obſervare voluit, ut quaſi neceſſitate quadam indiſpenſabili adſtrictus eam uſurpaverit; ſcribit enim Sanctus Lucas. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Et paucis interpoſitis. *Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo,* &c. Et hoc ſecundùm eam legis obſervandæ neceſſitatem die menſis 14. veſperi: ſequens autem dies quo Chriſtus paſſus eſt, feria hebdomadis 6. pridie Sabbati agebatur: ait enim S. Marcus de illo die. *Erat Paraſceue, quod eſt ante Sabbatum.* Et Sanctus Lucas. *Et dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuſceſcebat.*

Feria 6.

Marc. 15.

Luc. 23.

Characteres Paſſionis Chriſti Plenilunium & feria 6.

Epiſt. 83. *lib.* 10. *ad Epiſcop. Æmiliæ.*

De tempp. rat. c. 47.

Sunt ergo hi duo characteres certiſſimi in Evangelio anno & diei Paſſionis Domini deſignati, nempe ut ſit feria ſexta in decimam quintam Lunæ diem incurrens. Vnde meritò Sanctus Ambroſius diſertè docet *Chriſtum celebraſſe Paſcha hebdomade, in qua decima quarta Luna fuit feria 5. & eadem Paſcha cum diciplulis manducaſſe, & ſequenti die feria 6. 15. Luna crucifixum.* Et Venerabilis Beda hunc quaſi fidei Canonem

Digitized by Google

Canonem ſtatuit, ubi ait, *quòd Dominus* 15. *Lunâ, feria 6. Crucem aſcenderit, nulli licet dubitare Catholico.*

II. Vnum invenio Vuillelmum Langum mirabili præfidentia contendentem Chriſtum paſſum die Iovis, non Veneris, idque propterea quia non invenit inter Paſſionem Chriſti die Veneris, & Reſurrectionem die Dominico, tres dies & tres noctes, quibus ipſe Chriſtus Dominus futurum ſe dixerat in corde terræ, inſtar Ionæ in ventre ceti. At ipſe non advertit alios dies ab Evangeliſtis non deſignari, quàm tres iſtos, Paraſceves ad Paſſionem & ſepulturam, Sabbati ad quietem & moram in Sepulchro, & Dominicæ ad Reſurrectionem, cum noctibus intermediis; & proinde tres dies & tres noctes accipi non poſſe integrè, ſed ſecundùm aliquam partem extremorum, ut communiter S. Patres & Doctores interpretantur: omnium inſtar ſit divus Hieronymus, ubi ait. *Nos συνεκδοχικῶς totum intelligamus à parte, ut ex eo quòd ἐν παρασκευῇ mortuus eſt, unum diem ſupputemus & noctem, & Sabbati alteram; tertiam verò noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius.*

Langus temerè feriam 5. Chriſti Paſſioni tribuit.

De Annis Chriſti lib. 2. c. 4.

Matth. 12.

In cap. 2. Ionæ.

Tres dies & tres noctes ſepulturæ Chriſti ex parte intelligendi.

III. Quòd autem duo illi characteres anno 33. Æræ communis conveniant, certiſſima demonſtratione concluditur ex Aſtronomico calculo, & notis omnibus, quæ in eum annum aptiſſimè conveniunt. Is enim annus proximus poſt biſſextilem fuit, Cyclo Lunæ 15. Solis 14. Littera Dominicali D. Novilunium civile habuit 20. Martij. Plenilunium item civile 3. Aprilis, fer. 6. & Aſtronomicum tam medium quàm verum, eadem feria ſexta.

Characteres anni 33. Æræ communis, quo Chriſtus paſſus.

Quo argumento egregiè ad noſtram mentem utitur Ioannes Lucidus, ubi ex Paulo Foroſemprononienſi à 30. anno ad 34. Æræ communis, omnes annos propriis characteribus deſignat, & rectè oſtendit ſoli. 33. convenire ut Plenilunium Paſchale, ſeu Luna 15. in feriam 6. incurrat.

In Chron. lib. 7. cap. 2.

In Paulina part. 2. lib. 7.

Quod ut clariſſimè pateat quaſi ad ipſum oculum, ego quoque ſequentem Tabellam hîc depingendam curavi, in qua diligentiſſimè epilogiſmos illorum annorum examinavi ad Tabulas Kepleri Rudolphinas, quæ omnium maximè commodæ, univerſales, & exactæ habentur.

Digitized by Google

Tabella Plenilunij Paſchalis.

Annus Æra commu.	*Cyclus Luna.*	*Cyclus Solis.*	*Littera Dominicalis.*	*Plenilunium Ciuile.*	*Feria.*
29.	11.	10.	B.	April. 16.	7.
30.	12.	11.	A.	April. 4.	3.
31.	13.	12.	G.	Mart. 25.	1.
32.	14.	13.	F. E.	April. 13.	1.
33.	15.	14.	D.	April. 3.	6.
34.	16.	15.	C.	April. 20. Mart. 22.	3. 2.
35.	17.	16.	B.	April. 10.	1.
36.	18.	17.	A. G.	Mart. 30.	6.

Digitized by Google

In Meridiano Ieroſolymitano.

Plenilunium Medium.	*Feria.*	*Plenilunium Verum.*	*Feria.*
D. H. ′ ″ April. 17. 7. 40. 23.	1. poſt Merid.	D. H. ′ ″ 17. 5. 31. 9.	1. poſt Merid.
April. 6. 4. 19. 2.	5. poſt Merid.	6. 10. 33. 53.	5. poſt Merid.
Mart. 27. 1. 17. 39.	3. poſt me. noctem.	27. 11. 59. 59.	3. poſt me. noctem.
April. 13. 10.50.20.	1 poſt Merid.	14. 11. 43. 48.	2. poſt me. noctem.
April. 3. 7. 38. 59.	6. poſt me. noctem.	3. 5. 24. 29.	6. poſt Merid.
April. 22. 5. 1. 41. Mart. 23. 4. 27. 37.	5. poſt M-noct. 3. poſt Merid.	22. 4. 52. 14. 23. 4. 55. 47.	5. poſt Mer. 3.
April. 11. 2. 0. 19.	2. poſt Merid.	11. 10. 59. 14.	2. poſt Merid.
Mart. 30.10.48.57.	6. poſt Merid.	30. 4. 31. 52.	6. poſt Merid.

IV. In hac Tabella manifeſtum eſt annum communis Æræ 33. inſitum habere Plenilunium Paſchale tam Civile, quam Aſtronomicum, ſeu Medium, ſeu Verum, feriæ 6. Idque nulli alteri in ea deſcripto convenire quàm 36. quo argumento efficaciſſimè repelluntur ab anno Paſſionis Domini reliqui ſex anni, characteribus videlicet Evangelicis deſtituti; & conficitur, ut vel annus tertius, vel ſextus, poſt triceſimum, Dominicæ Paſſioni conveniat.

Solus annus 33. Paſſioni Chriſti idoneus.

Et quoniam modò ſuppono, quod ex capite ſequenti clariſſimè conſtabit, annum triceſimum ſextum cum anno Olympiadis, & Imperij Tiberij, in quibus mors Chriſti contigit, convenire non poſſe, reſtat ut ſolus annus triceſimus tertius repręſentandæ Chriſti Paſſioni idoneus admittatur.

Et quamvis annum quoque 36. incapacem Dominicæ Paſſionis indicem exiſtimem, poſui tamen illum in Tabella ſuperiori data opera cum characteribus idoneis, propter quos Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Foroſemproniensis, vir eruditus, & Aſtronomiæ diſciplinæ imprimis peritus, illum elegit ſuæ de Chriſti morte in illo anno ſententiæ fundamentum, addito tertio charactere de menſe Martio, quem pari certitudine, qua dies Veneris & Plenilunium, cum Chriſti Paſſione concurrere opinatur. Is enim in Opere, quod à ſuo & Apoſtoli nomine Paulinam inſcripſit, tota fere ſecunda parte contendit Chriſtum mortuum menſe Martio, die 30. quo Plenilunium ſeu Lunæ dies 15. in feriam 6. incurrit. Et toto libro 7. annos à 1. Chriſti uſque ad 60. omnes ſigillatim enumerat, & in ſingulis diem proprium Plenilunij Paſchalis aſſignat. Quod præcipuè præſtat ab anno 30. uſque ad 40. eo argumento ab anno Paſſionis Chriſti, 33. quem nos ei addicimus, excludens, quod communis opinio Doctorum teneat Chriſtum Dominum menſe Martio crucifixum. Sed pace boni viri, & nimium in ſua vana revelatione ab Apoſtolo ementita confidentis, dictum ſit, Characteres Evangelici, duo ſoli à nobis propoſiti, & anno 33. convenientes, ſufficiunt ad annum Paſſionis

Menſis Martius non eſt character Paſſionis Chriſti.

Digitized by Google

Paſſionis indicandum, Paſchale Plenilunium & dies Veneris. Tertius autem ille menſis Martij ſuppoſititius eſt; & de ſententia Doctorum, qui ei communiter ſubſcribunt, multa nobis poſtea dicenda, ex quibus falſitas ejus elucebit.

V. Modo ad intelligentiam Tabellæ noſtræ, & eorum quæ ad eam conſequuntur, quædam notatione digna occurrunt, quæque prætermitti non debent.

Primum eſt, octo illos annos, quos Tabella complectitur, initium ducere à famoſo illo Geminorum Conſulatu, in quo multi Antiquorum, & ex Recentioribus nonnulli, Chriſtum paſſum volunt, cum quo & annus 15. Tiberij ex poſteriore ſua parte concurrit, ante quem nemo Chriſti Paſſionem aſſignat: Eoſdem quoque octo annos finem habere in ultimo anno Tiberij, poſt quem nemo pariter Chriſtum paſſum, ſalvâ fide Catholicâ, & hiſtoricâ veritate, dicere audeat, aſſerente Evangelio Pilatum Chriſtum morti adjudicaſſe, & Hiſtoricis Scriptoribus Pilatum à Tiberio Præfectura dejectum. Ex octo ergo illis annis, ut extremis & maximè amplis terminis, neceſſe eſt ut aliquis Paſſioni Dominicæ aſſignetur.

Termini Tabellæ ſuperioris.

Secundum, Tabellam noſtram calculum ſequi Rudolphinarum à Keplero ex Tychonis ſententia editarum, quibus nullæ exactiores ac magis univerſales hac ætate habentur; ad Meridianum Ieroſolymitanum accommodato tempore, additione duarum horarum & ſexdecim minutorum factâ, quemadmodum in ſuis fecit Paulus Middelburgenſis, qui ſuas rationes ad Tabulas Ptolemæi, rejectis Alphonſinis, in quibus vitium ſuberat, aptavit, factâ Meridianorum competenti reductione.

Ad Rudolphinas aptatæ.

Tertium, inchoare me diem à media nocte, more Romano veteri & Eccleſiaſtico: etſi enim Aſtrologi plures, & inter alios Princeps veterum Ptolemæus, & recentiorum Tycho, in ſuis Tabulis à Meridie ad Meridiem dies computent; Iulius tamen Cæſar ſuum Calendarium & dies ſingulos, ut & Eccleſia ſuos, à nocte media, quando

Inchoatâ die à media nocte.

B 2 primum

primum Sol ad horizontem redire incipit, exordiuntur, iis ducti rationibus quas Cenſorinus eleganter inſinuat, ubi ait. *Romani à media nocte ad mediam noctem diem eſſe exiſtimauerunt: Indicio ſunt Sacra publica, & auſpicia etiam Magiſtratuum, quorum ſi quid ante medium noctis eſt actum, diei qui præteriit adſcribitur: ſi quid autem poſt mediam noctem, & ante lucem factum eſt, eo die factum dicitur, qui eam ſequitur noctem. Idem ſignificat, quòd qui à media nocte ad proximam mediam noctem in horis quatuor & viginti naſcuntur, eundem diem habent natalem.* Diſtinximus tamen diem more quoque antiquo & recenti in duas partes, poſitis horis duodecim poſt mediam noctem, & poſt Meridiem totidem. Ex quo diſcrimine cum Tabulis quæ diem à Meridie ordiuntur, contingit interdum, ut quod uno die factum ponitur juxta quaſdam Tabulas, juxta alias alio die reperiatur. Quo modo Plenilunium Paſchale anno 31. Æræ communis in noſtra Tabella ponitur 27. Martij; Medium quidem hora 1. 17'. 39". Verum autem hora 11. 59'. 59". utrumque poſt mediam noctem: Apud Paulum verò Middelburgenſem die 26. hora 14. minuto 13. ubi de Medio agitur. Verum ergo ponendum eſſet poſt horas temporis Proſtaphæretici H. 10.42'.19".die ſequenti, paulò poſt Meridiem.

De die Natali, c. 23.

In Paulina part. 2. lib. 7. c. 1. concl. 2.

Quartum, deſignaſſe me ſeparatim Plenilunium Civile, quod ex Cyclo Lunæ vulgo haberi ſolet rudi methodo, ab Aſtronomico Medio & Vero, quod exquiſitè Aſtronomicis legibus, & iis addidiſſe diem menſis, & hebdomadæ feriam, ex Cyclo Solis, & litteris Dominicalibus uſu receptis, ut indicarem hîc quoque Plenilunia eadem ſecundùm diverſos eorum modos diverſis diebus ſæpe contingere, ut & diverſis ejuſdem diei partibus. Quo modo anno Æræ communis 30. Plenilunium Civile accidit Aprilis die 4. fer. 3. Aſtronomicum autem utrumque die 6. feria 5. Itémque anno 32. Medium Aprilis die 13. hora 10. poſt Meridiem feria 1. Verum autem feria 2. poſt mediam noctem hora 11. die 14.

Plenilunia ſeparanda

Quintum

Digitized by Google

Quintum, poſuiſſe me in anno 34. Plenilunium tam in menſe Aprili, quàm in Martio, ut poſuit Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis; quia Plenilunium Martij Civile eo anno Paſchale non fuit, & præcedit Æquinoctium, fit enim 22. menſis die, feriâ 2. Sole adhuc in Piſcibus, nondum in Ariete, exiſtente. Quia tamen Aſtronomicum factum eſt paucis poſt Æquinoctium minutis, id eſt, 14'. 17''. in primo gradu Arietis, die 23. Martij feria tertiâ; ideo omnino excluſum nolui, & duplex poſui, primum Aprilis, alterum Martij. *Ibid concl. 5.* Duplex Plenilunium Paſchale anno Chriſti 34.

Quibus ita conſtitutis, redeo ad mentem Tabellæ, & vim primi argumenti, quo demonſtratur anno triceſimo tertio communis Æræ adſcribendam eſſe Domini Paſſionem, quia inſignis eſt characteribus in Evangelio deſignatis feriæ 6. & Plenilunij Paſchalis, excluſis aliis ante & poſt proximè concurrentibus, qui iis notis carent, ipſoque 36. qui licet eas habeat, deſtituitur tamen quibuſdam aliis non minùs neceſſariis, de quibus in ſequentibus agemus capitibus, & maximè, cum ſingulas opiniones iis annis faventes ex profeſſo refutabimus. Solus annus 33. Paſſioni convenit

VI. Verùm antequam caput hoc claudam, confirmanda eſt prima noſtra ratio de Plenilunio in ipſo die Paſſionis Chriſti, illuſtri ſanè, neque fortè fortuita Lunæ defectione, quæ contigit Ieroſolymis, & in locis propioribus verſus Orientem eadem ipſa die 3. Aprilis, eodem anno 33. Æræ communis, ut omnino non dubitaretur eo die quo paſſus eſt cœli Dominus, verum Plenilunium extitiſſe, & non modo Solem in media die, ſed etiam Lunam cùm Ieroſolymis oriretur, defeciſſe, & tenebris utrumque luminare, quaſi obducto velo, Iudæorum facinus immane non aſpiciendo exhorruiſſe. Eam Lunæ defectionem circa occaſum Solis eo ipſo die obſervat Scaliger ex Epilogiſmis Aſtronomicis. Eam mihi ad Tabulas Ptolomæi examinatam ante aliquot annos dederat amicus quidam meus, ad diem 3. Aprilis hora 4. poſt Meridiem minuto 36. cum duratione trium horarum & Defectio Lunæ die Paſſionis Chriſti. *Lib. 6. de emend. temp. in 5. Paſchate.* A diverſis Authoribus obſervata.

minutorum

minutorum 17. & obſcuratione digitorum octo. At quia Alexandria occidentalior eſt gradibus ſex circiter Ieroſolymis, fere integra media hora citiùs Luna defecerit Ieroſolymis, & circa horam quintam in media obſcuritate fuerit. At P. Ioannes Baptiſta Ricciolus ponit eam hora 7. 10′. poſt Meridiem Ieroſolymis cum obſcuratione digitorum 7. 52′. Ad Tabulas verò Rudolphinas diligentiſſimè examinatum Plenilunium menſis illius & anni invenio contigiſſe Ieroſolymis 3. die Aprilis, Medium quidem hora 7. 38′. 59″. poſt mediam noctem; Verum autem hora 5. 24′. 29″. poſt Meridiem feria 6. ut in Tabella ſuprapoſita annotavi. Eclipticum quoque illud demonſtrat latitudo Lunæ minutorum 36′. 26″. cum ſemidiametro umbræ 44′. 46″. quantitatem vero digitorum 9. 18″ dat ſumma ſemidiametrorum Lunæ & umbræ 59′. 53″. & durationem totalem, horarum 3. 22′. 2.″ faciunt ſcrupula mediæ durationis 47′. 32″. cum motu horario Lunæ à Sole 28′. 14″. Vnde concluditur initium Eclipſis hora 3. 43′. 28″. finis verò hora 7. 5′. 30″. poſt Meridiem. Et ita Luna emergens ex umbra terræ viſa eſt Ieroſolymis fere per unam horam poſt Solis occaſum, Chriſti Domini corpore recens ſepulto, quæ fuſiùs inferiùs explicabuntur.

Noui Almag. tom. 1. part. 1. lib. 5. cap. 18. pag. 361.

Lib. 3. cap. ulti.

CAPVT SECVNDVM.

SECVNDA RATIO.

Paſſus eſt Chriſtus eo anno & die, quo defectio Solis omnium maximè admirabilis contigit.

Luc. 23.

Solis obſcuratio prodigioſa Chriſto patiente.

I. SCRIBIT Sanctus Lucas Evangeliſta, Chriſto in Cruce patiente, cùm eſſet hora fere ſexta, tenebras factas eſſe in univerſam terram, uſque in horam nonam, & obſcuratum eſſe Solem. Hanc Solis obſcurationem omnino

omnino extra ordinem & prodigioſam agnoſcunt Sancti Patres, & Scripturæ Interpretes, multis ex capitibus, ſive quia Luna ſe Soli terræque interpoſuit tempore Plenilunij, cùm non ſoleat niſi in Novilunio; ſive quia corpus Solis à partibus orientalibus obumbrare cœpit, cùm ſoleat ab occidentalibus; ſive quia tempus obſcurationis trium horarum ſolito longius extitit; ſive quia reditus Lunæ ad ſuum locum reflexus fuit, & per eandem qua venerat viam, non integro confecto curriculo, contra morem ſolitum curſus Aſtrorum; ſive denique quia in ipſo Solis corpore obſcuratio neceſſaria fuit ad infundendas tenebras per univerſam terram, ordinariæ enim Solis Eclipſes tenebras efficiunt in aliqua duntaxat terræ parte, cęteris luce fruentibus.

Ejus Eclipſeos mentionem facit Divus Dionyſius in Epiſtola ad Polycarpum, & quæ vidit in illa miracula obſervat, cum admiratione divinæ potentiæ in tanta rerum novitate, & augurio Divinæ Paſſionis, aut futuræ mundi ſubverſionis. Vbi notat factam illam contra rationem Eclipſis Solaris, cùm non eſſet Synodi tempus, & Luna Solem obſcurare cœperit à partibus orientalibus, & expreſsè meminit de Luna 14. in Æquinoctio Verno. P. Ioannes Baptiſta Ricciolus ejus Eclipſeos prodigia fusè recenſet, & ea uſque ad 10. capita extendit.

Epiſt. 7.

Almag. Novi tom. 1. lib. 5. cap. 18.

Vnde meritò Cardinalis Bellarminus ex prodigiis in ea Eclipſi tam multis concurrentibus efficaciter conficit argumentum planè convincens ad Chriſti Divinitatem admittendam, quod non modò Iudæis, & Romanis militibus, qui pręſentes ſpectaculo, pœnitentià ducti percutiebant pectora ſua, & dicebant, *Verè Filius Dei erat iſte*; ſed aliis quoque univerſis, qui reliquo toto orbe prodigium tam publicum & viſibile oculis uſurpare potuerunt, ſatis eſſe ad fidem poſſet.

Lib de 7. verb. Domini in 4. verbo.

Convictio fuit Chriſti Divinitatis.

Matth. 27.

De quo non ſolus Sanctus Dionyſius modò laudatus, ſed Phlegon quoque prophanus Hiſtoricus, adeo celebrem mentionem facit, ut ejus authoritate veteres Chriſtianorum

ſtianorum nobiliſſimi Tertullianus, Origenes, Aphricanus, & alij, ad convincendam ipſorum Gentilium obſtinationem, & Chriſti mortem admirabilem perſuadendam, utantur.

A Patribus obſervata.

Cap. 21.

Tertullianus in Apologetico de momento mortis Chriſti, & Solis deliquio in eo facto, *Eodem*, inquit, *momento dies medium orbem ſignante Sole ſubducta eſt. Deliquium utique putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt: Et tamen eum mundi caſum relatum in Archiuis veſtris habetis.*

Epiſt. 80. *ad Heſychium.*

Et Divus Auguſtinus defectum illum Solis verè mirabilem & prodigioſum, qui factus eſt quando crucifixus eſt Dominus, Ethnicis Romanis innotuiſſe ſcribit, & id ſcriptum habuiſſe in Annalibus, ſed evulgari vetuiſſe invidia, ne Cœlum doluiſſe Chriſti velut Divini viri mortem putaretur.

Ex Ruffino.

Vnde in Actis Sancti Luciani Martyris iſtud ſolenne ad Gentiles. *Perquirite in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati fugato Sole interruptum tenebris diem.*

Lib. 7. *cap.* 4.

Et Oroſius eandem Solis defectionem in Chriſti Paſſione deſcribens, ait ad horam diei ſextam Solem in totum obſcuratum, & ſtellas toto cœlo fulſiſſe. *Quod*, inquit, *non ſolùm Sanctorum Euangeliorum fides, ſed etiam aliquanti Græcorum libri atteſtantur.*

Phlegontis authoritas in anno Paſſionis Chriſti.

In lib. 2. *Faſt. ad Ann. Vrb. C.* 786.

II. Ex hac igitur Solis defectione in Chriſti morte adeo mirabili, & orbi nota, ſic licet ad rem noſtram argumentari. Celebrata eſt ea Eclipſis anno 4. Olympiadis 202. Tiberij Imperatoris anno decimo nono, teſte illo ipſo Phlegonte, de quo paulò ante loquebamur; is fuit Hadriani Imperatoris Libertus, magnæ inter Hiſtoricos fidei, cujus teſtimonium nemo reſpuit, quem Euſebius egregium Olympiadum Supputatorem vocat, & Onuphrius tanti ſe ait Phlegontis hac in re teſtimonium facere, quanti cujuſcunque alterius Scriptoris poſt Evangeliſtas, quibus quàm maximè convenit. Sed quoniam Liber ipſe Phlegontis injuriâ temporis periit, & ſola quædam ejus fragmenra reſtant, eáque cum vitio, & in

controverſia

Digitized by Google

controverſia poſita, circa annum illius Eclipſis, Autoribus variantibus propter diverſas in diverſis codicibus lectiones; operæ duxi pretium rem hîc diligentiùs examinare, & teſtimonij fidem, omni velo erroris, aut vitij ſublato, nudè & ſimpliciter exhibere.

Qui textum Phlegontis magis integrum & longiùs productum referat habemus neminem, quàm Ioannem Philoponum, qui proinde non ex alio quopiam exſcriptore, ſed ex ipſo Phlegontis volumine, ſuo adhuc tempore extante, verba ipſius referat Autoris: quare juſtum duxi mentem Phlegontis ex Philopono prius, quam ex aliis, inveſtigare.

A Philopono explicata.

Sic ergo Philoponus de tenebris agens in Chriſti Paſſione per totum mundum inſtar profundæ noctis effuſis. *Harum*, inquit, *tenebrarum*, *vel potiùs noctis*, *etiam Phlegon in Olympiadibus meminit*: *ait enim*: *Quarto anno Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ factam Solis defectionem omnium quæ ante innotuerint maximam*, *& noctem hora diei ſexta talem*, *ut ſtellæ in cœlo apparuerint.* Scio in hoc textu patens vitium Librarij factum, & pro quarto anno ſecundum irrepſiſſe; ſed is error calami, ex ſequenti paulò poſt contextu Phlegontis, & ex ipſius Philoponi ratiociniis, apertiſſimè corrigitur.

Τούτου δὲ τοῦ σκότους, μᾶλλον δὲ τῆς νυκτὸς ταύτης, καὶ Φλέγων ἐν ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐμνήσθη. λέγει γὰρ ὅτι τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἡλίου ἔκλειψις μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. *Philoponus l. 2. de mundi creatione, cap. 21.*

De anno Paſſionis Chriſti, 4 Olymp. 202.

Pergit autem Philoponus oſtendere Phlegontem de Eclipſi ad Chriſti Paſſionem pertinente intelligendum: ait enim: *Quòd autem Phlegon Eclipſeos Solis ſub Crucem Domini Chriſti factæ*, *& non alterius*, *meminerit*, *primùm quidem manifeſtum eſt ex eo quòd dicat ſimilem ſuperioribus temporibus nullam innotuiſſe defectionem*: *eſt enim unicus naturalis modus omnis Solaris defectionis*, *conſuetæ enim Solis Eclipſes in ſola Synodo duorum luminarium fiunt*; *quæ verò facta eſt ſub Chriſto Domino*, *in Plenilunio contigit*, *quod fieri naturaliter eſt impoſſibile*: *& in aliis quidem Solis defectionibus*, *etiamſi totus Sol deficiat*, *per aliquam velut indiviſibilem temporis partem ſine lumine manens*, *ſtatim tamen ſimul incipit purgari*; *ſub Domino verò Chriſto*, *à ſexta hora uſque ad nonam*, *aër omnino*

Ὅτι δὲ τῆς ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γενομένης τοῦ ἡλίου ἐκλείψεως, καὶ οὐχ ἑτέρας, ἐμνήσθη καὶ Φλέγων, πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ λέγειν μὴ ἐγνωκέναι τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν τοῖς πρότερον χρόνοις δῆλον. εἷς γὰρ τρόπος ἐστὶν ἁπάσης ἐκλείψεως ἡλιακῆς φυσικός. αἱ γὰρ συν-

Digitized by Google

omnino manſit obſcurus. Ecce quomodo Philoponus exponit Phlegontis mentem in eo quod Eclipſim illam dixit maximam omnium quæ ante innotuerint: nempe ratione temporis Plenilunij in quo contigit, naturaliter impoſſibilis, & ratione durationis per tres horas integræ obſcurationis.

γένεσις τοῦ ἡλίου ἐκλείψεις ἐν μόνῃ συνόδῳ τῶν δύο φωστήρων γίγνονται. ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ Χριστοῦ ἐν πανσελήνῳ γέγονεν, ὅπερ φυσικῶς γένεσθαι, ἐστὶν ἀδύνατον. καὶ ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων τοῦ ἡλίου ἐκλείψεων, εἰ καὶ ὅλος ἐκλείποι ὁ ἥλιος ἀκαριαῖον χρόνον μένει ἀφώτιστος μόνος, αὐθέως ἀνακαθαίρεσθαι ἄρχεται. ἐπὶ δὲ τοῦ σταυροῦ Χριστοῦ ἀπὸ ἕκτης ὥρας ἕως ἐννάτης ἀφεγγὴς ὁ ἀὴρ ἔμεινε παντελῶς. *Idem ibidem.*

Tiberij 19.

Καὶ ἀπ' αὐτῆς δὲ τῆς περὶ Τιβερίου Καίσαρος ἱστορίας δείκνυται. βασιλεύειν μὲν γὰρ αὐτὸν φησὶν ὁ Φλέγων τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς ἐννενηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος. τὴν δὲ ἔκλειψιν γεγονέναι ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος. ὡς συνάγεσθαι ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ βασιλεῦσαι Τιβέριον, ἕως τοῦ τετάρτου ἔτους τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος. ἐγγύς που ἔτη δέκα καὶ ἐννέα. τρία μὲν τῆς ἑκατοστῆς ἐννενηκοστῆς ὀγδόης, τῶν δὲ ἄλλων τεττάρων δέκα καὶ ιϛ.

Atque ut quod Phlegon dixit de anno 4. Olymp. 202. confirmet, ex eo quod ipſe Phlegon de anno 19. Tiberij Ceſaris ſcribit, ait Philoponus. *Atque id ex ipſa Tiberij Cæſaris hiſtoria oſtendit. Ait enim Phlegon ipſum regnare cœpiſſe anno 2. Olympiadis 198. eámque Eclipſim factam in 4. anno Olympiadis 202.* (ſic recte corrigitur error ſupra in textum illapſus) *ita ut collectis ab initio regni Tiberij annis uſque ad 4. Olympiadis 202.* (En iterum idem error correctus.) *fiant prope decem & nouem, tres quidem 198. ſedecim verò, quatuor reliquarum.* (Tertiò denique ex hac annorum collectione demonſtratur non 2. ſed 4. Olympiadis 202. anno Eclipſim de qua agimus à Phlegonte alligatam.) Aliis prœterea argumentis probat Philoponus Chriſti Paſſionem ad annum Tiberij 19. pertinere, nempe ex Prędicatione Divi Ioannis facta anno decimo quinto Tiberij Imperatoris juxta Sancti Lucæ Evangelium, & ex conſequente Chriſti Domini Prędicatione per tres annos & paulò ampliùs, non autem per quatuor integros, juxta Euſebij authoritatem, & teſtimonium Ioſephi annorum illorum Pontifices numerantis. Denique diſertis verbis ipſe Philoponus factam aſſerit Solis illam Eclipſin anno decimo nono Tiberij, & ejus admirabilem ſtatum contra uſitatum naturæ curſum confirmat authoritate S. Dionyſij Areopagitæ. Verba autem Philoponi ſunt hujuſmodi: *Hoc quoque Lucas in Euangeliis declarat, inquit enim Prædicationem Ioannis Baptiſtæ factam anno Tiberij regnantis 15. ex quo*

Τοῦτο δὲ καὶ Λουκᾶς ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ἱστόρησε. τῷ γὰρ πέντε καὶ δεκάτῳ ἔτει τοῦ Τιβε-

quo prædicatio Saluatoris Euangelica initium ſumpſit, extendit autem illam non per totos quatuor annos, ut Euſebius in 1. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ oſtendit, id colligens ex Ioſephi Antiquitatum libris. Cùm enim incœperint ſub Anna Pontifice, & poſt ipſum tribus aliis Pontificibus (erat enim Pontificatus annuus) ad initium poſt illos Sacerdotio fungentis Caiphæ, Chriſto crucifixo finem acceperunt. Erat autem annus ille Imperij Tiberij Cæſaris decimus nonus, in quo facta eſt ſalutaris mundo Chriſti Crucifixio, & in ipſa mirabilis & inuſitata naturæ Solis defectio eo modo contigit, quem Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Polycarpum Pontificem deſcripſit.

εἰς βασιλείας φησὶ τὸ κήρυγμα Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ γεγονέναι. καὶ οὐ τὴν ἀρχὴν τὸ τοῦ σωτῆρος ἔλαβε τὸ Εὐαγγελικόν. παρέτεινε δὲ οὐδ᾽ εἰς ὅλους τέσσαρας ἐνιαυτοὺς. ὡς Εὐσέβιος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἔδειξεν. ἐν τῆς Ἀρχαιολογίας Ἰωσήπου τοῦτο συναγαγών. Ἀρξαμένου γὰρ ἐπὶ Ἄννα τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ μετ᾽ αὐτὸν τριῶν ἄλλων Ἀρχιερέων γενομένων (ἐνιαύσιος δὲ τῆς Ἀρχιερωσύνης ἦν χρόνος) εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ μετ᾽ ἐκείνους ἱερατεύσαντος Καϊάφα, πέρας ἔλαβε σταυρωθέντος Χριστοῦ. ἦν δὲ τὸ ἔτος ἐννεακαιδέκατον τῆς Τιβερίου Καίσαρος βασιλείας ἔννατα καὶ δέκατον. ἐν ᾧ ἡ σωτήριος τοῦ κόσμου γέγονε τοῦ Χριστοῦ σταύρωσις, καὶ ἡ ἐπ᾽ αὐτῇ παράδοξος καὶ ἀσυνήθης τῇ φύσει ἔκλειψις ἡλιακὴ, τοῦτον γενομένη τὸν τρόπον, ὃν Ἀρεοπαγίτης ἔγραψε Διονύσιος ἐν τῇ πρὸς Πολύκαρπον τὸν Ἱεράρχην ἐπιστολῇ. *Idem ibidem.*

Hactenus Philoponus, poſt Euſebium & Hieronymum eorum qui Phlegontis teſtimonium ſcriptis mandarint, antiquiſſimus, immò omnium qui integrum & magis correctum reddiderint, fideliſſimus, ex quo ſummatim conſtat, quod hîc maximè contendimus, Chriſti Domini Paſſionem in anno 4. Olympiadis 202. & Tiberij 19. qui eſt Æræ communis 33. contigiſſe, ex concurſu Eclipſis, quam Phlegon accuratiſſimus Olympiadum Supputator, ad eos annos aſtrinxit.

Vbi tamen, ſaltem obiter, obſervandum eſt, non quatuor integros annos Chriſti Prędicationi Philoponum, ex Euſebij & Ioſephi teſtimonio, aſſignare.

III. Sed ejuſdem Euſebij modò mens inveſtiganda eſt circa tempus Eclipſis à Phlegonte obſervatæ, & quidam errores purgandi, qui in ejus contextum incuriâ Librariorum inducti ſut: Ex hoc enim fideliſſimo & maximè integro Phlegontis à Philopono laudati teſtimonio, facillimum & tutiſſimum eſt ad certiſſimam integritatis & veritatis regulam componere alia omnia, quæ diverſi Autores pro ſua quiſque opinione proferunt, & ut ad ſuam ſententiam pertrahant, vel corrigunt, vel immutant.

Euſebius igitur in Chronico ad annum Olympiadis 202. tertium, & Tiberij 18. juxta Latinam editionem & verſionem Sancti Hieronymi, ait, *Ieſus-Chriſtus ſecundùm Pro-*

Locus Euſebij vitioſus correctus.

Digitized by Google

phetias, quæ de eo fuerant prolocutæ, ad Paſſionem venit anno Tiberij 18. quo tempore etiam in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum ſcripta reperimus, Solis facta defectio. Bithynia terræ motu concuſſa, & in urbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia hiis congruunt, quæ in Paſſione Saluatoris acciderant. In qua Solis obſcuratio, & terræ motus ab Evangeliſtis memorantur. Et ſtatim referens verba Phlegontis circa Eclipſim Solis quæ in Chriſti morte contigit, ait. *Quarto autem anno* 202. *Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta, dies horâ ſextâ ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia, Nicææ urbis multas ædes ſubuertit.* Hæc Euſebius in verſione Sancti Hieronymi. Quibus error qui in anno Tiberij 18. contigerat, corrigitur per annum 4. Olympiadis 202. qui cum 19. Tiberij, non cum 18. Chriſto patiente concurrebat. Quod ipſum confirmat ipſe Euſebius ex triennio quod Ioannes Evangeliſta Chriſti Prędicationi tribuit: ait enim Euſebius, in verſione ipſa Divi Hieronymi: *Argumentum autem hujus rei, quòd Saluator iſto anno paſſus ſit* (id eſt, 4. Olympiadis 202. de quo proximè ex Phlegonte meminerat) *Evangelium præbet Ioannis, in quo ſcribitur poſt* 15. *annum Tiberij tribus annis Dominum prædicaſſe.* Tres annos intelligit integros cum aliquot menſibus, poſt annum 15. Tiberij utique completum; alioqui non adveniret mors Chriſti in 4. notatæ Olympiadis: Ad 15. igitur Tiberij completum, quando Chriſtus baptizatus eſt, adde tres annos & menſes aliquot, habes 19. per totidem menſes currentem quando Chriſtus eſt paſſus.

Quæ omni ex parte conſentiunt cum iis quæ paulò ante retulimus ex Philopono Euſebij teſtimonium laudante, ut viciſſim ex Philopono error quiſquis in Euſebium irrepſerit corrigendus eſt. Quod certius adhuc & clarius conſtabit ex iis quæ Georgius Syncellus, antiquus & doctus Autor, de anno Mortis Chriſti, & anno Eclipſis à Phlegonte memoratæ, ſcriptis commiſit.

Hæc

Digitized by Google

IV. Hæc igitur habet Syncellus in Chronologia ad annum Chriſti 33. *In hoc anno, qui tertius & triceſimus ætatis Saluatoris noſtri extitit, & Tiberij Cæſaris* 19. *Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, &c. ad ſalutarem Paſſionem volens proceſſit.* Et poſt aliquot paginas referens ſatis fusè teſtimonium Euſebij circa annum mortis Chriſti, & circa Eclipſin à Phlegonte obſervatam, ait ex ipſo Euſebio. *Ieſus Chriſtus Filius Dei Dominus noſter, juxta eas quæ de ipſo factæ ſunt Prophetias, ad Paſſionem venit anno* 19. *Tiberij Imperatoris.* Etpaulo poſt annum exprimit ex Phlegonte Olympiadis 202. 4. quo facta eſt Eclipſis illa Solis admirabilis: & utrumque confirmat ex triennio Prędicationis Chriſti poſt 15. Tiberij, ut paulò etiam ante dicebamus.

Ἐν τούτῳ τῷ ἔτει, ὅπερ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡλικίας λγ. ὑπῆρχεν... κατὰ τὸ ιθ. ἔτος τοῦ Τιβερίου Καίσαρος, ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς... ἐπὶ τὸ σωτήριον πάθος προσῄει ἑκουσίως.

Τῷ δ. ἔτει τῆς σβ. Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον.

Μετὰ τὸ ιε. ἔτος Τιβερίου τριετῆ Χριστοῦ διδασκαλίας.

Vides quomodo hic rectè & ſine vitio repręſentetur textus Euſebij & Phlegontis, tam circa annum 4. Olympiadis 202. quo Eclipſis contigit, quàm circa annum 19. Tiberij, qui cum illo tempore Paſſionis Chriſti concurrebat, Ioanne Philopono & Georgio Syncello magnà fide & concordià conſpirantibus.

Philopono & Syncello conſpirantibus.

Quibus adde in Tabella ſeu Canone Chronographico ad Syncelli mentem ad ejus Chronographiam adjuncto, Chriſti Paſſionem cum ejus anno 33. Tiberij 19. & 4. Olympiadis 202. conjungi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quamobrem jure meritò Scaliger Euſebij Chronicon Gręcum in lucem edens, quod in Latino habetur de anno Paſſionis Chriſti, & de Eclipſi à Phlegonte memorata ad annum 3. Olympiadis 202. reponit ipſe proprio loco ad annum 4. ut in ipſo textu Phlegontis Divi Hieronymi verſio admittit: quod verò in eadem verſione Divi Hieronymi cum vitio irrepſit de anno 18. Tiberij, Scaliger corrigit, & reponit in Gręco ιθ. & ubi in Gręco ex ignorantia Librarij, & ſine ſenſu ſcriptum erat τῷ δὲ ἔτει ⸗ σβ. Ὀλυμπ. emendat ſcribens, τῷ δ. ἔτει, id eſt, quarto anno. Vnde minùs emendatè in eodem verſu ſibi reſpondentes ponit; annum illum Olympiadis 202. quartum, Tiberij 18. & Chriſti 33. cùm ipſe in Animadverſionibus

Scaligero ſtipulante.

iſtius

Digitized by Google

iſtius loci dicat expreſſis verbis, Annus 19. Tiberianus, in quo ἡ ϛαύρωσις contigit, incipit a. d. 14. Calend. Septemb. & paulò ante, Paſſus eſt, inquit, Dominus menſe decimo anni 4. Olympiadis 202. 3. Aprilis, feriâ 6. Cyclo Solis 14. Aureo numero 15.

Cum Chronico Alexandrino.

Ἐπὶ τὸ πάθος παρίει τῷ ιθ. ἔτει τῆς Τιβερίου μοναρχίας. Chronicon Alex. in fine Olymp. 202.

Chronicum quoque Alexandrinum ait expreſsè Chriſtum ad Paſſionem veniſſe anno Tiberij 19. & referens verba Phlegontis annum ponit 4. Olympiadis 202.

Ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος. Ex Euangelio Nicodemi.

Hervuart. in Chronol. cap. 178. ex S. Ireneo.

Non utor autoritate Evangelij Nicodemi, in quo ſcribitur Chriſtum paſſum Olympiadis 202. anno 4. ſive quia apocryphum eſt, ſive quia cùm ea veritate multa falſa & incompoſſibilia admiſcet.

Error Petavij corrigitur.

Lib. 12. de doct. temp. cap. 21.

Et in Animadu. in Epiph. ad 51. hereſ. Alog. pag. 176.

V. Ex quibus difficile non erit corrigere quod ait P. Dionyſius Petavius, Euſebium non anno 4. ſed 3. Olympiadis 202. Chriſti Paſſionem affixiſſe, eique 18. Tiberij appoſuiſſe: ubi & ait, eos qui autoritate Phlegontis pro anno 4. utuntur, non ſatis ſanos exiſtimare Patres antiquos, qui alteri anno quàm Phlegon ipſe, Eclipſin à Phlegonte relatam apponerent, vel ſaltem vero ſimile eſſe annum 4. pro 2. δ. pro δευτέρῳ in textum Grecum vitio Librariorum irrepſiſſe. Verùm ſatis ex iis quæ dicta ſunt mens & textus Euſebij, & Phlegontis intelliguntur, & ipſe Petavius admittit Hieronymum annum 4. Olympiadis 202. ſcripſiſſe, cum quo non niſi 19. Tiberij componi poteſt. Adde integrum Phlegontis textum ab ipſomet Phlegonte defendi ab omni vitio aut ſuſpicione erroris, ex ipſis annis novemdecim, quos ab eo numrat, quo Tiberius regnare cœpit, uſque ad 4. Olympiadis 202. ut ſupra ex Philopono retulimus.

Vitioſa ergo eſt potiùs & ſuppoſititia compoſitio Paſſionis Chriſti in Euſebij Chronico cum anno 3. Olympiadis 202. facta ab aliquo qui in verſione Latina Divi Hieronymi legebat annum Tiberij 18. cùm in Greco eſſet ιθ. 19. & 4. Olymp 202. tam in Greco quàm Latino: preſertim cùm nec 3. ille annus Olympiadis, nec 18. Tiberij, ſententiæ Petavij faveat, cùm ipſe velit Chriſtum paſſum

anno

Digitized by Google

anno Æræ communis 31. Olympiadis 202. 2. Tiberij 17. Quod verò dicit, Patres qui cum Euſebio dixerunt Chriſtum mortuum anno Tiberij 18. per anticipationem προληπτικῶς octavum decimum annum appellaſſe qui Romanis 17. putabatur. Quòd inquam id dicit, ingenioſè ad ſuam mentem dicit, ſed non ad rei veritatem.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 12.

Vnde pariter corrigitur Ioannes Keplerus, in Tabulis Rudolphinis de eadem Eclipſi à Phlegonte annotata loquens, ubi admittit quidem Euſebium eam adſcribere anno 4. Olympiadis 202. ſed vitium in textum Phlegontis obrepſiſſe contendit, & numeralem γ. in δ. mutatam, id eſt, 4. annum pro 3. poſitum. Sed ut modò dicebam, hæc mutatio Kepleri ſententiæ, quæ cum Petavio communis ei eſt, nullo modo favet. Et verò ipſe alibi agnoſcit in Græco textu Euſebij annum ιθ. id eſt, 19. Tiberij reperiri, ut ſanè ubique reperitur & in Euſebio, & in Philopono, & in Syncello. Et quòd aliam Eclipſim Solis totalem in Aſia & Syria reperit in anno 74. Iuliano, conſtat eam abeſſe toto quadriennio ab anno Phlegontis.

Et Ioannis Kepleri. *Cap. 17.*

In Eclog. Chron. epiſt. 14.

Ibid. epiſt. 16.

Corrigendus quoque Tractor Syncelli, qui cùm inveniſſet in textu Græco Euſebij, quem Syncellus deſcripſit, annum Tiberij ιθ. 19. corrigit in margine ιη. 18. & in Emendationibus ad pag. 324. ait ſe numerum mutaſſe ιθ. in ιη. Euſebij mentem eam eſſe arbitratum, qui ſuccedentis paginæ primis verbis ſcribit, μετὰ τὸ ιε. ἔτος Τιβερίου τριετῆ χρόνον διδασκαλίας αὐτοῦ διαγένεσθαι, poſt 15. Tiberij Chriſti Prędicationem triennalem extitiſſe. Vbi mentem Euſebij non capit ſuæ correctioni planè contrariam, dat enim Euſebius poſt 15. Tiberij completum, tres annos & paucos menſes Prędicationi Chriſti, & proinde eam uſque ad inchoatum Tiberij 19. extendit.

Et Interpretis Syncelli.

Corrigendus denique Ioannes Lucidus, ubi docet animadvertendum in libro Euſebij anno 4. Olympiadis 202. quando paſſus eſt Dominus, annotari annum 19. Tiberij, cùm

Et Ioannis Lucidi. *Lib. de vero die Paſſionis Chriſti, cap. 9.*

cùm debuiſſet annotari 18. quo anno ipſe Euſebius, inquit, in eodem libro affirmat ipſum paſſum, eúmque errorem non Euſebio, ſed Scriptori vel Impreſſori tribuendum putat. Corrigendus, inquam, ex ipſo textu Græco Euſebij ſuæ integritati reſtituto, & ex concurſu anni quarti Olympiadis 202. cum anno 19. Tiberij non autem cum 18. tempore Paſſionis Domini Corrigitur enim vitium Græci textûs Euſebij de anno Olympiadis, per Latinam verſionem Sancti Hieronymi, quæ 4. diſertè ponit, & vitium Latinæ verſionis de anno Tiberij per Græcum textum, qui habet ιθ. id eſt, decimum nonum.

Chriſti Paſſio anno 4. Olymp. 202. 19. Tiberij.

Maneat ergo planè confectum Paſſionem Chriſti contigiſſe anno quarto Olympiadis 202. Tiberij Imperatoris 19.

Anno 33. Æræ communis.

VI. Iam verò ex certitudine quòd Eclipſis illa mirabilis, & Chriſti Domini Paſſio, cujus in gratiam fiebat, anno 4. 202. Olympiadis, 19. Tiberij Imperatoris contigerit, evidenter evincam annum illum, quo paſſus eſt Chriſtus, Æræ communis 33. eſſe numerandum.

Quod ut clarè luceat, quædam hic paucis perſtringenda ſunt, quæ alibi fuſiùs expono, & apud doctos pleroſque omnes in confeſſo ſunt.

Primus annus Iulianus poſt Calendarij à Iulio reformationem.
In Calend. Ianuarij Novilunio.
Olymp 183. anno 3. currente.
Habet rationem Biſſextilis.

Conſtat enim imprimis Iulium Cæſarem tertio ſuo Conſulatu, Collega M. Æmilio Lepido, Calendarium correxiſſe, & annum ſequentem à Calendis Ianuariis proximè poſt Brumam ſeu hibernum Solſtitium, ipſa die Novilunij, ut Tabulæ Aſtronomicæ confirmant, Luna in Iugo exiſtente, exorſum cum 4. ſuo Conſulatu ſine Collega. Et hic annus ideo 1. Iulianus, ſive Iulianorum, dictus eſt, & Calendis Ianuariis Olympiadis 183. annus 3. adhuc fluebat, finiendus in Æſtivo Solſtitio. Et hic annus primus Iulianus habet rationem primi Biſſextilis in ordine eorum qui conſequuntur, & adhuc in noſtra Æra communi numerantur: Vnde fit ut anni Olympiadum cum Biſſextilibus ſic componantur, ut in Biſſextili circa Solſtitium Æſtivum 3. Olympiadis cujuſque finem habeat,

quartus

Digitized by Google

quartus initium. Sequenti verò poſt Biſſextilem, quartus Olympiadis finem, quintus verò à celebratione ludorum initium ducat.

Celebrãtur Olympica proximo poſt Biſſextilem anno.

Conſtat deinde eundem Iulium anno ſequenti, quinto ſuo Conſulatu, Idibus Martiis mortuum, ab eoque die annos Imperij Octaviani Auguſti numerari cœptos, eodémque anno celebratos Olympicos ludos certiſſimum redditur ex duabus Ciceronis Epiſtolis ad Atticum ſcriptis in itinere paulò poſt Iulij mortem ſuſcepto. Vnde evidentiſſimè concluditur Auguſtum imperare cœpiſſe Idibus Martiis anno 4. Olympiadis 183. nondum finito, Iuliano 2.

Mors Iulij, & initium Imperij Auguſti, anno 2. Iuliano.

Lib. 15. 24. *lib.* 16. 7.

Quo celebrata ſunt Olympia.

Conſtat prętcrea regnaſſe Auguſtum annis 57. integris, & ex 8. à die 15. Martij, uſque ad 19. menſis Auguſti, quo mortuus eſt, & Tiberius imperare cœpit, anno proinde Iuliano 59. Olympiadis 198. 2. à diebus Solſtitij Æſtivi inchoato. Quod egregiè confirmat Eclipſis Lunæ ab Autoribus obſervata die 40. poſt Auguſti obitum, 27. Septembris.

Mors Auguſti, & initium Imperij Tiberij.

Annò Iuliano 59.

Suet. in Aug. Dio lib. 56. *Tacit. lib.* 1.

Quo Eclipſis Lunæ celebris 27. Septemb.

Vnde rectè Sigonius mortem Auguſti ponit 14. Cal. Septembris, duobus Sextis Coſſ. anno Vrbis conditæ 766. cùm annos vitæ egiſſet 75. menſes 10. dies 26. natùsque eſſet Cicerone Conſule 9. Calend. Octobris, & imperaſſet poſt Actiacam victoriam annos 44. minùs 13. diebus. Annos Vrbis ponit Sigonius ſecundùm Faſtos Capitolinos. Rectiùs ſecundùm Varronem ponetur annus 767. currens, in morte Auguſti.

Ann. V. C. 766.

Quo modo ponit Onuphrius mortem Auguſti 14. Kal. Septemb. Coſſ. duobus Sextis, anno Vrbis conditæ 767. Olymp. 198. anno 2. inchoato videlicet utroque. Sed malè ponit anno Chriſti 15. cùm debuiſſet 14.

In Faſt. lib. 2.

Sit igitur conſtitutum, primum annum Tiberij 19. die Auguſti menſis inchoatum eſſe, anno 2. Olympiadis 198. ante paulò inchoato: ideoque annum 19. Tiberij cum quarto Olympiadis 202. concurrere. Vnde neceſſariò concluditur Eclipſim Solis in Chriſti morte factam, iiſdémque

Olymp. 198. 2.

19 Tiberij, & 4. Olymp. 202. in annum 33. Æræ communis incidunt.

Digitized by Google

illis annis à Phlegonte poſitam ad annum 33. Æræ communis, qui cum illis adhuc fluentibus convenit, pertinere, ut ſuperius jam oſtendimus.

Ioannis Lucidi error circa 1. Tiberij. *Lib de vero die Paſſ. cap. 9.* *In Chron. lib. 1. c. 8.*

VII. Scio Ioannem Lucidum annum 1. Tiberij non conjungere cum 2. Olympiadis 198. ſed cum 3. & inchoare primum annum Auguſti à primo ejus Conſulatu, & Olympiadas non ab Æſtivo Solſtitio, ſed ab Autumnali Æquinoctio, numerare.

Et initium Olympiadum. *In lib. 1. de Olymp.* *Pluth. in Alex.*

Sed Eclipſis illa Lunæ, de qua modò agebamus, efficaciſſimè convincit Tiberium in morte Auguſti Imperium iniviſſe eo anno 2. Olympiadis prędictæ, & falſum eſt Olympiadas Autumno inchoari, cùm Cenſorinus expreſsè notet dies Æſtivos, & Titus Livius Æſtatem, ut fuſiùs probat Onuphrius in Faſtos, & certum ſit Alexandrum Æſtate natum 5. die menſis Hecatombæonis, paucis ante ludos Olympicos diebus, cùm eàdem die Philippus nuncium acceperit nati filij,&Olympicæ victoriæ curſu ab equis ſuis reportatæ.

Cauſa errandi Lucido. *In Chronico.*

Neque ullo modo juvaret Lucidum,quòd Olympiadum anni in Autumno inchoarentur; hoc enim ſolùm faceret, ut primus annus Tiberij inchoaretur Olymp. 198. anno 1. nondum finito. At non impediret quominus 19. tempore Eclipſis à Phlegonte annotatæ ageretur cum 4. Olymp. 202. quod contendimus duntaxat hoc loco. Arbitror autem unum iſtud induxiſſe in errorem Ioannem Lucidum, quòd ſimpliciter & ſine examine crediderit ex vulgata ſententia Euſebij, juxta verſionem Latinam corruptam, Chriſtum paſſum anno 18. Tiberij, ex hoc enim ſolo veritas ſententiæ, & alia ejus principia vehementer turbantur. Quare ſi ad integritatem loci Euſebij, & ad Gręcum contextum attendiſſet Lucidus, qui alioqui in cęteris nobiſcum ſentit, non ita à nobis & à veritate deflexiſſet: rectè enim ponit Chriſtum paſſum anno quarto Olympiadis 202. inchoato, ſed malè 18. Tiberij, debuit enim ponere annum 19. ut ſecum ipſe, & cum veritate ſentiret, ut rectè ponit pro Chriſti morte annum 33.

eundémque

Digitized by Google

eundémque 1. poſt Biſſextum, ut & finem 70. hebdomadum Danielis anno 36 Æræ communis. *In Tab. pag. 114. & 141.*

VIII. Scio quoque Ioannem Georgium Hervuartum, virum multæ lectionis & doctrinæ reconditæ, Imperium Tiberij ordiri ab ejus militari poteſtate Vicaria in omnes exercitus Imperij ab Auguſto ei tradita duobus ante obitum annis. Vbi multa aſſerit preter opiniones communiter receptas circa ordinem Conſulum perturbatum, & circa annos Vrbis Conditæ planè confuſos, tam ante Anni Romani correctionem, quàm poſt illam. In quibus etiamſi quædam veriſſima ſint; tamen quod ait, mortem Auguſti contigiſſe anno 19. Æræ communis, manifeſtè falſum arguitur ex Eclipſi illa Lunæ, quæ, ut paulo ante innuimus, 40. poſt ejus obitum die facta eſt. Aſtronomicæ enim leges ad alium, quàm ad 14. Æræ communis annum, eam pertinere non patiuntur; quemadmodum neque primum Auguſti & mortem Iulij, ad alium quàm ad 2. Iulianum; neque ipſum primum Iulianum, quàm ad 45. ante primum Æræ communis, certiſſimi characteres quos ſupra deſignavimus ſolidiſſimè perſuadent, quos miror ab homine docto vel non animadverſos, vel neglectos, aliis levioribus & minùs ſolidis tanquam pro fundamentis aſſumptis. Et gravis ſanè ejus hallucinatio ferenda non eſt, in eo quòd neget Eclipſin illam à Dione & Tacito in morte Auguſti notatam, verè Eclipſin fuiſſe, & quod objicit 39. diebus tam multas res fieri ante Druſi in Pannoniam adventum, ut rebellantes auditâ Auguſti morte Romanas legiones in officio contineret, non potuiſſe, refellitur. Tabulæ enim Aſtronomicæ planè convenientes cum Scriptoribus Romanis eam Lunæ defectionem ad diem 27. Septembris, qui fuit à 19. Auguſti menſis, quo obiit Imperator, 40. omnem dubitationem, aut erroris ſuſpicionem tollunt, & diligentia Tiberij, ac Druſi ſapientia, negotiis Reipublicæ ſapientiſſimè providit. Fateor quidem ſeriem Conſulum in multis perturbatam, propter varios Conſules aut omiſſos, aut inductos,

Error Georgij Hervuarti in morte Auguſti convincitur.

Novæ & veræ Chronologiæ. Cap. 193. & 248.

Cap. 147.

Cap. 257.

D 2 aut

Anni Conſulum & VrbisCóditæ non ubique certi.

aut ſuffectos, ideoque fieri ut alios Tabulæ Capitolinæ, alios Siculæ, alios aliæ referant. Vnde variant ſepe inter ſeſe Autores in iis referendis nobiliſſimi, Caſſiodorus, Onuphrius, Sigonius. Quod etiam contingit in annis Vrbis conditæ, qui ſine dubio diverſis temporibus alias breviores, alias longiores extiterunt.

Anni Olympiadum & Imperat. certiores.

Anni ergo Olympiadum & Imperatorum certiores habentur, & ſupra omnes illi, qui in Eclipſibus, & aliis Aſtronomicis notis infallibilibus fundantur.

Quomodo componendi anni diverſæ rationis.

IX. Vbi animadvertendum eſt diligenter in componendis annis Olympiadum, Vrbis, & Imperatorum, qui intra anni decurſum initium ducunt, cum annis Iulianis, Conſulum, & Æræ communis, qui à Calendis Ianuariis, habendam eſſe rationem diei & menſis, in quo anni illi priores incipiunt, & deſinunt: & obſervandum in qua parte poſteriorum res de qua agitur, inchoata aut finita dicatur.

Cùm enim, exempli causâ, primus annus Tiberij, de quo hîc agimus, initium ducat à morte Auguſti Imperatoris, quæ contigit diedecima nona menſis Auguſti anni Iuliani 59. ſub Conſulatu duorum Sextorum, conſequitur, ut idem ille Tiberij primus finem habeat anno ſequenti Iuliano 60. poſt Conſulatum duorum Sextorum, eodem die 19. Auguſti: & proinde cum duobus annis Iulianis, & duobus Conſulum paribus concurrat; & vice versâ quilibet annus Iulianus, exempli causâ, correſpondeat duobus annis Imperatorum, aut Olympiadum; exempli gratiâ, Iulianus 60. primâ ſuâ parte, id eſt, à Calendis Ianuariis uſque ad 19. menſis Auguſti, concurrit cum anno 1. Imperij Tiberij nondum finito: & 2. ſuâ parte, id eſt, à 19. Auguſti die uſque ad finem Decembris, cum anno 2. Tiberij inchoato.

Et ſimiliter de annis Olympiadum & Vrbis Conditæ; exempli causâ, annus ſecundus Olympiadis 198. initium habet in Solſtitio Æſtivo anni Iuliani 59. & finem in Solſtitio Æſtivo anni Iuliani 60. proindéque primâ ſuâ parte, id eſt, à Solſtitio Æſtivo uſque ad finem Decembris, concurrit cum 59. Iuliano, ſecunda verò, id eſt, ab

initio

Digitized by Google

initio Ianuarij uſque ad Solſtitium Æſtivum, cum anno Iuliano 60. Eodémque modo de annis Vrbis conditæ initium ducendo à Palilibus 21. Aprilis; & ita de aliis. Vnde quando res aliqua deſcribitur contigiſſe certo anno Olympiadum, Vrbis, aut Imperatorum, certóque anno Iuliano, Æræ communis, aut Conſulum, eo ſemper reſpiciendum eſt, ut omnia ſimul conveniant, ut errores vitentur, qui alioqui intervenirent.

Vbi adhuc obſervandum reſtat, cujuſlibet Olympiadis annum primum eum dici, qui initium ducit à Solſtitio Æſtivo, in quo ludi Olympici celebrantur: quælibet enim Olympias ſic comprehendebatur ab ipſo initio quatuor annis, ut conventus & ludi Olympici circa Æſtivum Solſtitium quarto quoque anno celebrarentur, & in ea celebritate quartus annus ſuperioris Olympiadis finem acciperet, primus ſequentis exordium. 1. Olympiadis quo ludi celebrantur.

X. His ita conſtitutis, & alligatâ fortiſſimè Chriſti Domini Paſſione ad annum Tiberij 19. & Olympiadis 202. 4. ſicut Index ejus fideliſſima Solis defectio mirabilis à Phlegonte deſignata demonſtrat, ſequitur evidentiſſimè Chriſtum paſſum anno communis Æræ 33. qui cum iis annis a Calendis Ianuariis uſque ad eorum exitum concurrit. Eclipſis enim Lunæ ſub initium Imperij Tiberij facta, juxta calculum Aſtronomicum, annum indicat Æræ communis 14. menſe Septembri currentem, unde numeratis octodecim annis integris Tiberij, & ſex menſibus uſque ad Aprilem, cujus initio Paſſio facta eſt, habetur 19. Tiberij per tres menſes concurrens cum 33. Æræ communis. Chriſtus paſſus anno 33. Æræ communis. 19. Tiberij currente.

Quod eodem fere modo evinci poteſt de anno quarto Olympiadis 202. ex primo Iuliano Biſſextili, cujus Calendæ Ianuariæ ipſo die Novilunij erant in anno 3. Olympiadis 183. jam per ſex menſe fluente, uno anno & aliquot menſibus ante Iulij cędem, quæ aliquot ante Ludos Olympicos menſibus perpetrata eſt, ut paulo ſuperiùs docuimus. Ex his enim planè conſtat annum primum Æræ 4. Olymp. 202.

communis

Digitized by Google

communis, qui Biſſextilem proximè ſequitur, & 14. eſt ante Auguſti obitum, & Tiberij ad Imperium aditum, Eclipſi Lunæ propoſitâ inſignem, eſſe Iulianum 46. & Olympiadis 194. annum 4. in Calendis Ianuariis concurrentem habere, ad quem integrum ſi 32. adhibeas, fiet 33. poſt Biſſextilem proximus, & Eclipſi quoque Lunæ 3. Aprilis notatus, in Calendis Ianuariis Iulianus 78. concurrens cum 4. Olympiadis 202. & cum 19. Tiberij, quod fuit demonſtrandum. Hac enim ſecunda ratione ſolùm contendimus probare Paſſionem Chriſti eo anno quo Eclipſis Solis à Phlegonte notata contigit, &, ut neceſſario conſequitur, anno communis Æræ tertio & triceſimo, factam eſſe.

Iuliano 78.

XI. Ex qua connexione mirabili, & fortiſſimâ Eclipſium, tanquam adamantinâ cathenâ, ligantur anni Olympiadum & Imperatorum cum annis Æræ communis. Inter Eclipſim enim illam Lunæ, quæ 3. Aprilis anni 33. Æræ communis facta eſt, & inter illam quæ 27. Septembris anni 14. intercedunt anni 18. cum menſibus fere ſex, qui planè conveniunt cum annis Tiberij à morte Auguſti, uſque ad 19. ejuſdem Tiberij in Chriſti Paſſione per ſeptem menſes & paulò ampliùs currentem, & cum ſpatio novemdecim ferè annorum, qui interponuntur inter annum 2. Olympiadis 198. in cujus initio cœpit imperare Tiberius, & 4. Olympiadis 202. ante cujus finem mortuus eſt Chriſtus.

Eclipſium ratio tempora fortiſſimè connectit.

A morte Auguſti ad mortem Chriſti anni ferè novemdecim Probantur intervallo duarum Lunæ Eclipſium.

Et ſimiliter inter Novilunium factum in Calendis Ianuariis anni primi Iuliani, & Plenilunium Eclipticum factum 3. Aprilis die anni 33. Æræ communis, intercedunt anni ex Tabulis Aſtronomicis 77. & menſes tres, totidémque dies, qui efficiunt 45. annos ante primum Æræ communis, & 32. cum tribus menſibus ac tribus diebus Æræ communis: & planè conveniunt cum menſibus ferè 15. ante Iulij mortem, & annis Imperij Auguſti 57. & menſibus ſex; & cum annis Tiberij 18. & octo fere menſibus. Vbi etiam conveniunt annus 4. Olympiadis 183. cum

A Novilunio Ianuarij anni 1 Iuliani, ad Novil. April. 3. quo paſſus Chriſtus, anni intercedũt 77.& menſes tres.

Digitized by Google

cum quo concurrit 1. Iulianus,&4. Olymp. 202. quo paſſus eſt Chriſtus, anno Iuliano 78. per tres menſes inchoato, cum intervallo annorum 77. & trium prętererea menſium.

Ex quibus omnibus concluditur invincibiliter Chriſti Domini Paſſionem factam in anno Iuliano 78. Olympiadis 202. 4. Tiberij 19. & quod hic pręcipuè contendimus, Æræ communis 33.

Chriſti Paſſio anno Iuliano 78. Olymp. 202.4. Tiberij 19. Æræ communis 33.

CAPVT TERTIVM.

TERTIA RATIO.

Paſſus eſt Chriſtus in anno medio 70. hebdomadis à Daniele morti Meſſiæ deſignatæ.

I. SEPTVAGINTA Danielis hebdomadæ habitæ ſunt ſemper à Patribus, & Scripturæ ſacræ Interpretibus, verus character temporis quo Chriſtus in mundum venturus eſſet, & nota ſingularis index anni illius quo eſſet ad peccati deſtructionem, & mundi ſanctificationem, Iuſtitia ſempiterna, extinctis aliis ſacrificiis, Dei Filius Sanctus Sanctorum occidendus; ſed propter loci obſcuritatem, in ſententiæ intelligentia multùm à multis erratum eſt, à paucis veritas intellecta, omni ſaltem ex parte; nam etſi plerique omnes in eo conveniant, quòd ea ſit revelatio Adventûs & Mortis Chriſti, in ratione tamen annorum, & in terminis quibus clauduntur, plurimæ ſunt, & valde inter ſe diſcrepantes Autorum opiniones: aliis annos Lunares multò breviores aſſerentibus, ut Aphricano ex antiquis, & è recentioribus Torniello, in eo abbreviationem in Sacro textu expreſſam contineri contendentibus: aliis Solares, ut cęteris communiter, qui abbreviatas hebdomadas aliter interpretantur, id eſt, minùs longè propter Prophetæ orationem dilatas, & brevi poſtea tempore cum Vrbis & Templi reſtauratione inchoandas

70. hebdomadæ Danielis character Paſſionis Chriſti.

Variè à variis expoſitæ.

Digitized by Google

inchoandas. Circa terminos quoque initium & finem, hebdomadum magnæ ſunt difficultates, nonnulli eas inchoant juſto citius, & finiunt ante Chriſti Adventum & Mortem, ut Clemens Alexandrinus, Euſebius, Hervuartus; alij tardiùs ordiuntur, & uſque ad Ieroſolymorum extremam deſolationem extendunt, ut Severus Sulpitius, Scaliger, & quidam alij. In quibus difficultatibus fuſius explicandis etſi non ſit animus immorari, nec inſtituta brevitas hujus Quęſtionis patiatur: ad vim tamen noſtræ rationis oſtendendam, neceſſe eſt ut intelligatur quo anno pręcisè initium ducant illæ 70. hebdomadæ, in quarum ultimæ medio docemus Chriſtum occiſum.

Lib 1. Strom. Lib. 8. de Demonſt. Cap. 265.

Lib. 2. Hiſt.

II. Ante omnia autem verba Prophetæ proponenda ſunt, & brevi expoſitione illuſtranda. Sic ergo Archangelus Gabriel ad Danielem vehementer afflictum, de adventu Salvatoris, & populi ſui liberatione ſolandum. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Vrbem ſanctam, ut conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Hæc manifeſtè de Adventu Chriſti, & fructu Mortis ejus. Vbi agnoſcunt omnes ferè hebdomadas annorum, non dierum; & ut antea monui, annorum Solarium, abbreviatas, id eſt, ad certum & breve tempus determinatas.

Illuſtratur Prophetia de 70. hebdomadis.

Dan. 9.

Hebdomadæ annorum Solarium ad breve tempus determinantur.

De terminis autem, id eſt, exordio & fine illarum, ſic pergit Gabriel pronunciare. *Ab exitu ſermonis, ut ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſus ædificabitur platæa, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus qui eum negaturus eſt.*

Exitum ſermonis intelligit tempus illud Iudæis fortunatum, quo Artaxerxes Perſarum Rex edicto ſuo ſupremo juſſit efficaciter reſtitui Civitatem Ieroſolymorum, cujus reædificatio jam à Cyro,& ab ipſo Artaxerxe permiſſa

Digitized by Google

miſſa fuerat, ſed effectu planè irrito, propter impedimenta graviſſima Iudæis ab adverſariis objecta: ad effectum autem hujus iteratæ juſſionis mittit Rex cum epiſtolis Nehemiam, qui ſtrenuè in opus incumbit, & per hebdomadas ſeptem, id eſt, annos ferè quinquaginta, integra reſtauratio Vrbis & Templi perfectè completur, ædificatione murorum initio impeditâ, & promptiſſimè ab ipſis armatis, ut ſe ab impedientibus defenderent, expeditâ, quam propterea dicit anguſtiam temporis. Poſt eas autem ſeptem hebdomadas, & alias ſexaginta duas, id eſt, omnino annos 483. occidendum Chriſtum ait; idque in medio ultimæ hebdomadæ: ait enim paulò poſt de Chriſto. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia & Sacrificium.* Quibus quod paulò ante dixerat de Chriſto occidendo, & reprobatione populi, iterum ſignificat per reprobationem Iudaicorum Sacrificiorum in Chriſti morte: Confirmatio autem pacti videtur ſignificare Chriſti Prædicationem in ejus morte terminatam, uſque ad dimidium ultimæ hebdomadis.

III. Atque hæc fere ex conſenſu Doctorum & Interpretum, à quibus nec Chronologi communiter abhorrent. Tota difficultas in eo poſita eſt, ut deſignetur diſtinctè tempus quo edictum illud Artaxerxis exitum habuit, quod Angelus appellat exitum ſermonis, & à quo uſque ad Chriſtum Ducem vult numerari hebdomadas.

Verùm ego aliunde meliùs intelligi non poſſe puto, quàm ex ipſo Nehemia, qui miſſus à Rege edictum ipſum vulgavit, & executioni mandavit. Ipſe enim disertè ſignificat factum id eſſe anno 20. Artaxerxis Regis, in cujus anni menſe 1. Niſan, cùm Regi in Pincernæ officio miniſtraret, & dolorem ſuum de Patriæ everſione explicaret, ab eo impetravit litteras, & facultatem eundi Ieroſolymam, & Vrbem reædificandi.

Initium 70. hebdomadum in anno 20. Artaxerxis Longimani, qui fuit Aſſuerus.
Nehem. 1.

Artaxerxes porro iſte valde probabiliter exiſtimatur ille ipſe, qui in hiſtoria libri Heſter vocatur Aſſuerus,

Digitized by Google

qui eam Reginam ex genere Iudæorum duxit uxorem, & in ejus gratiam Iudæos liberavit, & multis deinceps beneficiis affecit, ut ex libris Heſter & Nehemiæ conſtat. Hunc Artaxerxem filium Xerxis Græci vocârunt Longimanum, quòd altera manu longiori eſſet.

Μακρόχειρ.

Qua ergo certitudine conſtabit quem locum habeat in ſerie temporum annus ille 20. Artaxerxis, quo edictum ædificationis Ieroſolymorum vulgatum eſt, eàdem omnino habebitur initium 70. hebdomadum, in quarum ultimæ anno 4. ſeu dimidio, occiſus dicitur ab Archangelo Chriſtus.

Magnum porro lumen ad eam certitudinem haurio ex hiſtoria Thucydidis de Bello Peloponneſiaco, quam magnâ fide & diligentiâ vir eruditus & nobilis, præſens & cum imperio militans, conſcripſit, diſtinctis rebus actis per annos ſingulos, & annorum partes, æſtates & hyemes, Olympiadas deſignans per victores Olympicos, & Eclipſes Solis & Lunæ plures inſignes, quæ iis temporibus fiebant, exactiſſimè deſcribens.

Hic igitur fideliſſimus Scriptor, de cujus autoritate nemo jure dubitare poteſt, ſub finem anni Peloponneſiaci ſcribit Artaxerxem Xerxis filium vitâ functum, & paulò poſt ſub initium anni octavi factam ait Solis defectionem in Novilunio, ineunte ſtatim æſtate.

Τοῦ δ' ἐπιγινομένου θέρους, εὐθὺς τοῦ τε ἡλίου ἔκλειψίς τι ἐγένετο περὶ νουμηνίαν.

Thucyd. lib. 4.

Vbi diligenter advertendum, Autorem illum annos per æſtatem & hyemem diſtinguere, & ab æſtate ordiri, in qua comprehendit ver, ut in hyeme autumnum, & more Græco Attico uti menſibus Lunaribus, & annos belli ſic conjungere cum Olympiacis, ut in æſtate anni quarti, octavi & duodecimi, aliiſque ſimilibus fiant Olympica certamina, hæc enim manifeſtè apud eum Autorem conſtant, & ad noſtrum inſtitutum mirificè faciunt.

In morte Artaxerxis Eclipſis Solis.

Ex morte ergo Artaxerxis ſub finem anni ſeptimi Belli Peloponneſiaci, & ante initium octavi, ex illa Solis defectione notabili, elicitur eum deſiiſſe vivere hyeme, putà circa menſem Ianuarium aut Februarium anni ad formam

Iulianoru

Digitized by Google

Iulianorum revocati 4. Olympiadis 88. nondum finiti, cum enim annum certiſſimè reddunt Tabulæ Rudolphinæ, ad quas Eclipſim illam diligenter examinavi ad annum ante primum Æræ communis 424. & diem dant Martij 21. hor. 8. 24′. 42″. ante Meridiem Athenis, Solis verò loco in Piſcibus 11. 24. 49′. 30″. id eſt, ſex fere diebus ante Æquinoctium, pro temporis illius ratione.

Anno 4. Olymp. 88.

Die Martij 21.

Sex fere diebus ante Æquinoctium.

A morte ergo Artaxerxis anno ante primum Æræ communis 424. Olympiadis 88. anno 4. nondum finito, numeratis 30. completis annis ſuperioribus, devenitur ad 20. regni, regnavit enim quinquaginta & paulò ampliùs, ut recentiores fere optimi quique Autores affirmant, 40. nimirum poſt patris mortem, & 10. cum patre, in Regni ſocietatem vocatus ad regni ſecuritatem, more Perſarum non inſolito, quo ipſe Xerxes uſus eſt: & hic regni Artaxerxis 20. deſinet in anno 454. ante primum Æræ communis; in cujus æſtate finitur Olympiadis 81. annus ſecundus, & inchoabitur anno 455. Olymp. 81. anno primo.

Hoc igitur anno Olympiadis 81. primo nondum finito, ante primum Æræ communis 455. Artaxerxis 20. poſt menſem Iudæorum Niſan inchoatum, & nondum fortè finitum, ut Nehemias innuit, ponendum eſt initium hebdomadum 70. à Daniele deſcriptarum, quæ cùm contineant annos Solares ad formam Iulianorum 490. finem habebunt anno 36. Æræ communis, Olympiadis 203. tertio nondum finito, ultimæ autem hebdomadis annus medius, id eſt, quartus, concurret cum anno 33. Æræ communis, & annus 4. Olympiadis 202. nondum finitus erit die 3. Aprilis, in quam quadrare Chriſti Domini Paſſionem volumus, ipſa decima quinta die menſis primi Iudæorum qui Niſan appellabatur. Quæ omnia & belliſſimè inter ſeſe, & cum legibus Aſtronomiæ, & cum Scriptoribus Eccleſiaſticis & prophanis, & aptiſſimè ad noſtram mentem conveniunt.

Initium hebdomadarum 70. ante 1 Æræ communis anno 455.

Cap. 1.

Finis anno 36. Æræ communis.

IV. Placet tamen ea adhuc validè confirmare ex defectione Lunæ, quam obſervatam à Chaldæis Babylone anno

Confirmatio ex alia Eclipſi Lunæ.

Lib. 4. cap. 9.

Digitized by Google

anno 31. Darij ſcribit Ptolemæus, & ex ſerie annorum qui tribus Regibus Perſarum in regno conveniunt.

Hæc enim Lunæ defectio ex relatione Ptolemæi, & Tabulis Aſtronomicis, contigit annis 67. diebus 35. minùs, ante eam quæ facta eſt poſt mortem Artaxerxis, de qua paulò ante egimus, id eſt, die 25. Aprilis anni 491. ante primum Æræ communis, Olympiadis 72. anno 1. nondum finito.

Et ex ſerie aliquot annorum Regum Perſarum.

Interuallo autem illo 67. annorum includuntur ſex integri reliqui vitæ Darij, in cujus 31. Eclipſis contigit, cum ipſe regnaverit annos 36. completos, & aliquot præterea menſes. Xerxis quoque uſque ad mortem 20. cum aliquot menſibus, cùm ipſi 20. annos & paulò ampliùs Autores aſſignent: 40. denique reſtantes Artaxerxi, quibus poſt mortem patris ſolus regnavit, cùm jam cum patre decem regnaſſet.

Ex quibus patet annum 10. regni Artaxerxis poſt mortem patris, ſive viceſimum ab inito regno cum patre adhuc vivente & regnante, eſſe poſt Eclipſim Lunæ à Ptolemæo in anno 31. Darij. memoratam 37. cum aliquot menſibus. & ante mortem Artaxerxis & Eclipſim Solis à Thucydide circa ejus mortem deſcriptam, 30. completum, ita ut hæ duæ ſummæ compleant intervallum 67. ferè annorum inter duas illas Eclipſes comprehenſorum; ſic enim rectè conciliantur quæ antiqui Scriptores de Regni Artaxerxis annis 40. duntaxat, aſſerunt, cum 50. quos ei recentiores tribuunt: antiqui enim de annis quibus ſolus regnavit poſt mortem patris, recentiores de ijs etiam quibus cum patre in Imperij ſocietatem allectus, intelligendi ſunt. Et annus Artaxerxis 20. in Scriptura ſacra notatus pro initio 70. hebdomadum in medio fere intervalli inter duas Eclipſes continetur, 37. annis poſt Lunarem, & 30. ante Solarem. Et ſanè ex fide Autorum etiam antiquorum, conſtat Artaxerxem jam pluribus annis antequam Xerxes ejus pater vivere deſiiſſet, pro Rege habitum, & Regiæ dignitatis munia obiiſſe. Themi-

Conciliantur Autores circa annos regni Artaxerxis.

ſtocles

Digitized by Google

ſtocles enim Xerxe adhuc ſuperſtite, fugam Athenis meditans, & perfugium ad Perſas quærens, ad Artaxerxem ſcripſit in Imperium à parte admiſſum; ſic enim intelligendum eſt quod ſcribit Thucydides, cum ait, Themiſtoclem ad Artaxerxem Regem & recens regnantem litteras dediſſe; & quod Diodorus Siculus ad Xerxem: facilè enim conciliari poſſunt duo nobiles Scriptores per geminas litteras, & per refugium ad Xerxem intercedente Artaxerxe jam Rege, & cum patre regnante.

Εἰσπέμπει γράμματα εἰς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα. *Thucyd. Libr. 1.*

V. De qua controverſia optimè omnium meo judicio diſputat Petavius, qui annos tribuit Artaxerxis regno 50. & ejus 20. poſt decennium à morte patris Xerxis inchoat, duplex initium regni Artaxerxis conſtituens, alterum vivente patre, à quo numerat 50. annos uſque ad mortem; alterum poſt mortem patris, à quo 40. duntaxat, & à priori vult exordium 70. hebdomadarum ſumendum anno 20. 1. Olympiadis 81. In quib. aſſentior quidem perlibenter, & magnum ducem in iis ſequor.

Artaxerxes cum patre regnavit.

De doct. Temp. lib. 10. cap. 25.

Et lib. 11. cap. 32.

Vbi tamen ſilere non poſſum in morte Chriſti, ſeu medio hebdomadis 70. ab eo admiſſum errorem; vult enim illud medium non quartum hebdomadæ, ſed tertium, quem tamen conſtat in ſeptem annis medium non eſſe. Sed hoc ex eo contigit, quod ille ponat mortem Chriſti in anno 31. Æræ communis, & duos ſolùm annos cum tribus menſibus Prædicationi tribuat; ex quibus neceſſariò oritur metachroniſmus duorum annorum: 70. enim hebdomades continentes 490. annos, id eſt Olympiadas 122. & duos annos, inchoatæ anno 1. Olympiadis 81. ut ipſe nobiſcum admittit, vltim. inchoant anno 3. Olympiadis 203. in æſtate anni 36. Æræ communis. Inde ergo ablatis tribus annis, annus 4. hebdomadis 70. neceſſario inchoatur 33. Æræ communis, & menſe Aprili, quo Paſſio Chriſti conſummata eſt, numerabitur Olymp. 202. annus quartus, qui non poteſt quadrare in annum 31. Æræ communis.

Error Petavij circa mediũ hebdomadis 70

Rectè ergo cum Patre Petavio inchoamus 70. hebdomadas

madâs in anno 20. Artaxerxis, poſt inchoatum menſem Niſan, id eſt, circa Aprilem anni ante Æram communem 455. 30. annis ante Eclipſim Solis, & poſt Eclipſim Lunæ ſupra memoratas annis 37. Olymp. 81. anno 1. Et rectè quoque vlt. inchoamus poſt 490. annos, in anno Æræ communis 36. in menſe Niſan, circa Aprilem Olympiadis 203. anno 3. Sed minùs conſentaneè poſuit ille mortem Chriſti in anno tertio ultimæ hebdomadis, quia is medius non eſt, immò nec in anno 3. ponere debuit, ſed in 2. qui adhuc fluebat anno 31. Æræ communis, eo tempore quo aſſignat mortem Chriſti; in duobus ergo annis peccavit. Ex quo errore eleganter & validè confirmatur noſtra ſententia de morte Chriſti anno 33. Æræ communis, in quem tam exactè cadit annus quartus, ſeu medius ultimæ hebdomadis ex 70. apud Danielem ad notitiam mortis Meſſiæ deſignatis.

Confirmat mortem Chriſti anno 33. Æræ communis.

Ante Petavium Dekerius in quæſtione hac valde obſcura nonnihil lucis habuerat, ubi docet 70. hebdomadarum exordium ſumendum ab anno 20. Artaxerxis Longimani, eúmque pluribus annis cum patre regnaſſe, & duplex regni ejus caput aſſignat. Verùm in eo quod initium 70. hebdomadum, & 20. Artaxerxis in Scriptura deſignatum, vult eſſe 28. ab initio regni Xerxis. & 8. Artaxerxis poſt mortem patris regnantis, graviter hallucinatur, ut ex ſupradictis patet: quare mirum quoque non eſt. ſi finem hebdomadum minùs convenientem aſſignet, & cum Chriſti morte minùs aptè componat.

Dekerij ſenſus circa 70. hebdomadas cum aliqua luce. *Diſput. 4 Theologica.*

Mixta errori.

Ante utrumque optimè Ioannes Lucidus inchoat hebdomadas 70. in anno 20. Darij Longimani (errat duntaxat in nomine, & Darium pro Artaxerxe nominat) ſexageſimam verò nonam finit in Baptiſmo Chriſti, & medium 70. ponit in morte Chriſti, ubi numerat annos ab initio illius 20. Artaxerxis ad Alexandrum 128. ab Alexandro ad mortem Cleopatræ 297. indéque ad Chriſti Paſſionem 61. cum dimidio fere; ex quibus, inquit, conſurgunt anni 486. & dimidium, qui continentur in hebdomadibus

Ioannes Lucidus ſatis cõmodè ſentit de 70. hebdomadibus. *In Chronico lib. 7. c. 3.*

ſurgunt anni 486. & dimidium, qui continentur in hebdomadibus 69. & dimidia, in qua defecit hoſtia & ſacrificium per Chriſti mortem: quæ ſatis bellè conveniunt cum iis quæ ſupra diximus. Colligit autem eandem ſummam ex annis Pontificum Iudæorum, quorum minùs certa eſt ſeries, & Galatinum citat lib. 4. cap. 16. in ſumma annorum, licet diſcrepet in annis ſingularibus Regum Perſarum.

Iſidorus Peluſiota rectè quidem inchoat 70. hebdomadas, non ſub Cyro, ſed anno 20. Artaxerxis Longimani in ædificatione Vrbis Ieroſolymorum à Nehemia; verùm in enumeratione annorum quos continent, ut & in fine earum, non ita exactè ſe habet.

Vt & Iſidorus Peluſiota in initio. *Lib. 3. epiſt. 89.*

At non in fine.

Nos in iis quæ propoſuimus conſtantes ſumus; atque ut in ſummam quæ hoc toto capite in tertia noſtra ratione dicta ſunt, contrahamus, concludendum eſt Chriſtum paſſum anno 4. ſeu medio ultimæ hebdomadis ex 70. apud Danielem deſignatis, qui fuit annus Æræ communis 33. Olympiadis 202. quartus, Tiberij 19. in quo dies Veneris incurrit in Plenilunium Paſchale, ut duobus ſuperioribus capitibus abundè probavimus.

Chriſtus paſſus anno 4. 70. hebdomadæ, Æræ communis 33.

VI. Reſtat ut Autores qui huic noſtræ ſententiæ de Chriſti morte anno 33. Æræ communis favent, breviter recenſeamus. Et quidem illi, præter Euſebium, Philoponum, & Syncellum, quorum ſupra teſtimonia fuſiùs examinavimus diligenter, & ab omni vitij ſuſpicione purgavimus, ſunt imprimis Toſtatus, qui eam ſententiam contra eos qui eam oppugnabant, & fidei contrariam judicabant, egregiè defendit diſputatione de ea celebri habita.

Paulus Burgenſis in cap. 26. Matth. ubi aſſerit ſe ſuam ſententiam cum Aſtronomiæ peritis contuliſſe.

Ioannes Lucidus, præſtans ipſe Mathematicus, in Chronico, & in egregio Tractatu de vero die Paſſionis Chriſti edito.

Laurentius Codomanus, in Annalibus ſacræ Scripturæ, & lib

& lib 2. quæſt. 47. & lib. 4. cap. 21. Chronologiæ, ubi ait computationes Aſtronomicas docere, quòd dies 15. menſis primi Iudæorum anno 33. Chriſti, cadens in 3. Aprilis, fuerit dies Veneris, ſeu Paraſceves, qualem etiam diem Dominicæ Paſſionis fuiſſe teſtantur Evangeliſtæ.

Scaliger, Sethus Calviſius, & quidam ejus ſequaces.

Mulerius in Iſagoge in Calend. & in Tabulis docet ex Divo Ambroſio, Euſebio, & Scaligero,Chriſtum paſſum anno Periodi Iulianæ 4746. verno tempore, anno 4. Olympiadis 202. nondum finito.

Guillielmus Langius de Annis Chriſti lib. 2. cap. 8. ubi ſcribit nullum planè annum eſſe, cui characteres Paſſionis in Scripturis à Spiritu Sancto deſignati convenire poſſint, præter annum 33. & in fine capitis ait illum eſſe Tiberij 19. Iulianum 78. Olympiadis 202. quartum. Vbi tamen quod delirat de die Paſſionis non feria 6. ſed quinta, jam ſupra refutatum eſt.

In eadem ſententia ante fere iſtos omnes fuerat Rogerius Bachon in Epiſtola ad Clementem V. Rom. Pontif.

Et modò plerique Mathematici cum P. Ioanne Baptiſta Ricciolo in Almageſto novo, ubi ad annum Chriſti 33. refert Eclipſes Solis & Lunæ in morte Chriſti factas. *Tom. 1. lib. 5. cap. 18. & 19.*

P. Philippus l'Abbe in ſua Concordia Chronologiæ, & in Synopſi Conciliorum.

Quibus accedunt multi ſacræ Scripturæ Interpretes cum Pererio lib. 11. in Danielem: & jam ferè omnes qui rem diligentiùs examinant. Referamus modò & refellamus contrarias noſtræ ſententiæ opiniones, ut ex omnium collatione magis veritas eluceſcat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

REFERVNTVR ET REFELLVNTVR aliorum, pro aliis annis Æræ communis, ſententiæ.

INSINVAVIMVS jam ſupra commune argumentum contra omnes ſententias, quæ in alio anno quam 33. Æræ communis Chriſtum paſſum volunt, nempe quod in alio nullo characteres Evangelici feriæ 6. & Plenilunij convenirent, niſi fortè in 36. de quo paulò poſt ſeorſim agetur, & alia capita cur is annus rejiciendus ſit, afferentur. *Cap. 1.*

Verùm hic quoque omittenda non eſt communis reſponſio ad illud argumentum, videlicet id quidem verum eſſe, ſi leges Aſtronomiæ exactè ſerventur, & Paſcha Iudæorum ſecundùm illas exquiſitè celebratum eſſet. At ſi vitioſo Cyclo Iudæi uſi ſunt, aliis quoque in annis Plenilunium, ex uſu Civili, vel errore Cycli, pro vero & ſufficienti habitum feria ſexta celebrari potuiſſe. De ea tamen reſponſione commodiùs agetur infra, in anno 31. refellendo, tum quia Autores qui ei anno favent, graviſſimi ſunt; tum quia eo vitio Cycli Iudaici ſe maximè defendunt.

Referamus ergo priùs ſententias Autorum qui anno 29. & 30. favent. Hos enim duos annos conjungimus, quia multa communia habent, & quia Autores iidem quædam aſſerunt, quæ ad annum 29. pertinent, ut annum 15. Tiberij, ac Geminorum Conſulatum; & quæ ad annum 30. ut ipſius Chriſti annum 30. & Prędicationem unius anni poſt Baptiſmum.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS I.

De Annis 29. & 30.

Adu. Iudæos cap. 8.

Qui ſentiant Chriſtum paſſum anno 30.

IN hac ſententia videntur ex antiquis Patribus nonnulli, iique magni nominis, atque imprimis Tertullianus, ubi ait, *Quinto decimo* (anno Tiberij) *paſſus eſt Chriſtus annos habens quaſi* 30. *cùm pateretur*, qui & paulò poſt Paſſionem illam perfectam aſſerit Conſulibus Rubellio Gemino, & Fuſio Gemino.

1. Stromat.

Clemens quoque Alexandrinus ſcribit Chriſtum 15. annis vixiſſe ſub Auguſto, & 15. ſub Tiberio; id eſt, 30. omnino, atque uno duntaxat anno prędicaſſe.

Lib. 4. Periarch. cap. 1.

In cap. 9. Daniel.

Epiſt. 22.

Quod & docuit Origenes, cùm dixit, Chriſtum uno anno & aliquot menſibus docuiſſe. Et Africanus teſte Sancto Hieronymo, cùm ſcripſit, Chriſtum paſſum anno 15. Tiberij Cęſaris. Et ipſe Divus Hieronymus ibidem, & alibi.

Et ſub Geminis Conſulibus, 15. Tiberij

Lib. 18 de Ciuit. c. ult.

Lib. 2. hiſt. ſacræ.

Lib. 1. Pred. cap. 7.

Hos quoque ſecutus videtur Sanctus Auguſtinus, ubi ait Chriſtum paſſum 15. Tiberij, duobus Geminis Conſulibus. Quod etiam ſcripſit Severus Sulpitius, & Lactantius, Libro quarto, capite decimo, & decimo quarto. Proſper autem ait illum crucifixum anno 30.

Serm. 3. de Paſch.

Gaudentius agens de Agno Paſchali, qui anniculus jubebatur, ait de Chriſto: Anniculus eſt, quia poſt Baptiſmum unius anni tempus uſque ad Paſſionem impletur.

Lib. 12. de doct. Temp. cap. 17.

Verùm ex recentioribus vix ullus eſt, qui eam ſententiam defendat, cùm tam multa in Evangeliis de Chriſti actionibus deſcripta ſint, ut manifeſtum ſit ea unius anni intervallo non poſſe circumſcribi. Vnde meritò Petavius mirari ſe dicat ulli Chriſtiano tam abhorrentem, & ipſis Evangeliis tam contrariam opinionem probari potuiſſe.

Differt. 2. de temp. Dominicæ Paſſionis, theſi 16. & duab. ſeqq.

Quare improbandus eſt Voſſius, qui opinioni quæ unum annum duntaxat Prędicationi Chriſti aſſignat, favere ſe maximè fatetur; atque etiam eò magis, quo Chriſti Paſſionem

Digitized by Google

nem ſub Geminis, anno Æræ communis 29. alligat. Addo hic ſolùm totum illud diagramma Octaeteridos Iudaicæ, in quo ſuam ſententiam demonſtrari putat, inane prorſus eſſe, & ad libitum fictum, ſive circa initium illius ad annum Æræ communis & Chriſti 29. ſive circa 14. Lunam ad 25. Martij.

Æræ communis 29.

Quòd autem Georgius Hervuartus multa teſtimonia congerat eorum qui docent Chriſtum ſub Conſulatu Geminorum mortem ſubiiſſe, eàmque ipſe ſententiam approbet, ſed non ad annum Æræ communis 29. ſed ad 34. Geminos Conſules referat; viderit ipſe quomodo conciliet 15. Tiberij, circa quem proxime Chriſtus baptizatus eſt ex Evangelio, & quo nondum finito Gemini Conſulatum adierunt, ut probatiſſimi quique Autores ſcribunt, & ipſe Hervuartus non diffitetur: quomodo, inquam, conciliet annum illum 15. & Conſulatum Geminorum, cum anno 34. Æræ communis. Quod enim aſſerit de quinque Conſulum paribus ad Faſtos adjectis, & de initio Imperij Tiberij, & de morte Auguſti anno 19. Æræ communis, & falſum eſt, & ſupra refutatum; de quo & videri poteſt Petavius in ſummaria refutatione novitatum, quas in Chronologiam Autor ille induxit.

In Chron. cap. 78. Cap. 153. & ſeqq.

Conſulatus Geminorum Paſſioni Chriſti non convenit.

Onuphr. Sigon.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 36.

Vnde etiam refelli poteſt ſententia M. Antonij Capelli, Chriſtum paſſum 15. anno Tiberij, Conſulibus duobus Geminis. Conciliari enim non poteſt mors Chriſti anno Æræ communis 33. Olympiadis 202. anno 4. quo verè facta eſt, ut ſupra oſtendimus, cum iis Conſulibus, aut cum anno 15. Tiberij, etiamſi non à morte Auguſti, ſed aliquot ante annis, initium Imperij Tiberij ſumatur, ut Autor ille ſumendum putat, qui ideo concludit Chriſtum mortuum Olympiadis 202. anno 2. Æræ communis 29. ætatis 34. die 25. Martij, in quibus multa pugnantia & manifeſtè falſa ponuntur: quæ fuſiùs adhuc poſtea refellentur. Satis modò ſit, quòd Characteres Evangelici feriæ ſextæ, & Plenilunij in eum annum non

Diſſert. de Cœna Chriſti, cap. 5.

 concurrant

Digitized by Google

concurrant; eo enim anno Æræ communis 29. quanquam dies 25. Martij incidit in feriam 6. non tamen in Plenilunium, & Paſchale non in Martio, ſed in Aprili contigit.

Satis quoque, quòd Conſulatus Geminorum incurrens in partem poſteriorem anni 15. Tiberij, non conveniat cum 34. Æræ communis, aut ætatis Chriſti, ut manifeſtum eſt ex iis quæ ſupra de initio Imperij Tiberij & morte Auguſti diximus. Accedit clariſſimum Velleij Paterculi teſtimonium, qui ad alterum ex Geminis librum ſuum offerens, numerat à Palilibus Romæ Natalibus ad ejus Conſulatum annos 782. qui exactiſſimè in anno Tiberij 15. nondum finito, & Æræ communis 29. terminantur. Conſulatus ergo Geminorum propiùs ad Chriſti Baptiſmum quàm ad Paſſionem ſpectat, & ad 34. annum Æræ communis vel ætatis Chriſti aptari non poteſt, ut poſtea fuſiùs explicabitur, cùm de eo anno ſeorſim agetur.

Sed 15. Tiberij, & 29. Æræ communis. *Sup. Cap. 2.*

Lib. 1.

Reſpondetur ergo ad autoritatem Antiquiorum, eos non ſatis primis Eccleſiæ temporibus examinatâ, aut intellectâ Baptiſmi ac Paſſionis Chriſti circa tempus quæſtione, facilè pronunciaſſe de Paſſione quod ad Baptiſmum poterat pertinere, nempe illam anno decimo quinto Tiberij contigiſſe; itémque quia 15. Tiberij annus poſterioribus ſuis menſibus in Conſulatum duorum Geminorum incurrit, eàdem facilitate Paſſionem Domini ei Conſulatui, quà 15. anno Tiberij, annexuiſſe.

Dicta de Paſſione, quæ ad Baptiſmum pertinent.

Et quanquam Baptiſmus Chriſti fieri potuerit anno 15. Tiberij inchoato per quinque fere menſes ad diem 6. Ianuarij anni illius 29. Æræ communis, ſub Conſulatu duorum Geminorum; impoſſibile tamen fuit, ut Paſſio anno 15. Tiberij contigerit; quia Paſcha illius anni 29. proximè Baptiſmum ſecutum eſſet, nec ullum dediſſet Chriſti Prędicationi locum. Sequentis ergo anni Paſcha; id eſt, anni 30. expectandum fuit ad Paſſionem Domini quam citiſſimè accelerandam. At eo tempore Tiberij annus 15. effluxerat, & 16. per ampliùs quàm octo menſes

Paſſio Chriſti non potuit eſſe in anno 15 Tiberij.

Digitized by Google

menſes agebatur; & ideo Gemini deſierant eſſe Conſules. Adde tria ut minimùm Paſchata in Evangelio nominari, quæ duos ſaltem annos Prędicationis includunt; de quibus poſtea diſputabitur.

Suſtineri ergo non poteſt Chriſtum paſſum neque duobus Geminis Conſulibus, neque anno 15. Tiberij, neque 29. aut 30. Æræ communis poſt unicum annum Prędicationis. Nec ſub Conſulatu Geminorum.

Accedit quòd anno 29. Plenilunium Paſchale actum eſt die 17. April. feria 1. Cyclo Lunæ 11. Solis 10. Littera Dominicali B. Anno verò 30. Plenilunium 6. Aprilis fer. 5. contingit Cyclo Solis 11. Litt. Domin. A. Cyclo Lunæ 12. qui non ſunt characteres Paſſioni Domini in Evangelio deſignati, ut ex pręcedente Tabula ad oculum patet. Neque anno 29. aut 30. Æræ communis.

§. II.

De Anno triceſimo primo.

1. SEquitur ut examinemus ſententiam quæ Chriſti Domini mortem anno 31. communis Æræ adſcribit, & ea ſanè multos & graves Autores nacta eſt, qui eam magna contentione animorum, & multis argumentis ſatis validis defendunt.

Qui ei favent, ut plurimùm Chriſtum faciunt baptizatum anno communis Æræ 29. Tiberij 15. per quinque fere menſes inchoato, die 6. Ianuarij, ſub Conſulatu Geminorum, eundémque volunt per duos duntaxat annos, & aliquot menſes, Prędicationis miniſterium egiſſe, & tertio poſt ſuſceptum Baptiſmum Paſchate mortem pro hominibus obiiſſe. Qui volunt Chriſtum paſſum anno 31. Æræ communis. Baptizatum anno 15. Tiberij. Sub Conſulatu Geminorum.

In hac ſententia ex Veteribus eſt manifeſtè Sanctus Hieronymus, ubi ait: *Iuxta Ioannem Euangeliſtam per tria Paſchata duos poſtea impleuit annos.* *In cap. 9. Danielis.*

Et

Δύω πάσχατα μὲν μετὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ κηρύγματος ὁ Σωτὴρ ποιεῖται, καὶ τῷ τρίτῳ πάσχει. Epiphan. hæreſ. 51. Lib. 8. de Demonſt.

Et ante illum Epiphanius in Hęreſi Alogorum ſcribens. *Duo Paſchata poſt Prædicationis exordium Saluator celebrauit, tertio verò eſt paſſus.*

Et ante Epiphanium Africanus, qui ab Euſebio citatus, docet Chriſtum paſſum Olympiadis 202. anno ſecundo.

Menſe Martio.

Pro qua ſententia adduci poſſunt omnes Antiqui aſſerentes Chriſtum paſſum menſe Martio, & ſingulariter qui 25. Martij, cum omnibus Martyrologiis quæ Latronis cum Chriſto crucifixi memoriam 25. Martij celebrant.

II. Ex Recentioribus eam ſententiam præ cęteris defendunt acerrimè P. Ioannes Dekerius, Ioannes Keplerus, P. Dionyſius Petavius, Ægidius Bucherius, & alij nonnulli ingenio, doctrinà & autoritate prę́ſtantes.

Sententia DeKerij de Chriſti morte anno 31 Æræ communis.

Dekerius librum ea de re conſcripſit ad modum Theſeon, quas nobilis Polonus Laurentius Suſlyga in Academia Gręcenſi eodem Dekerio Prę́ſide propugnavit.

In ejus libri fronte hanc totius ſuæ ſententiæ quaſi compendiariam Epigraphen inſcriptam voluit. *Paſſus eſt Dominus ab* 11. *Calend. April. qua nocte à Iudæis traditus eſt, & ad* 8. *Calend. reſurrexit*; & ad fidem faciendam, & quaſi articuli Religionis Chriſtianæ autoritatem conciliandam adjunxit. *Iſta Synodus Cæſarienſis nomine Sancti Victoris Papæ & Martyris apud Bedam, &c.*

Et ſtatim initio libri in ipſo Prologo, quem Galeatum, ad ſententiæ ſuæ firmitatem, & adverſariorum terrorem appellat, omnem ejus vim explicat, & argumentorum quibus ea nititur robur exponit, dicens operæ pretium ſe duxiſſe, ut in ſuarum veſtibulo Theſium Apoſtolicæ declarationis penderet Tabella, qua mille ſuper & quadringentos annos in Synodo Palęſtina, cui nomine Victoris Papæ & Martyris Sanctus Theophilus Cęſarienſis Prę́ſul prę́ſedit, dies mortis atque anaſtaſis definita eſt Salvatoris. Quibus paulò poſt addit. Siquidem autoritate tantæ Synodi omnes conſtringuntur, quotquot communi Eccleſiæ vinculo ſub uno Chriſti in terris Vicario

conjunguntur

Digitized by Google

conjunguntur: nempe ut credatur quaſi fidei articulus, extra omnem falſitatis ſuſpicionem & novitatis calumniam, ut paulò priùs dixerat, ex decreto illo Apoſtolicæ Sedis diem 23. menſis Martij in Paraſceven ſeu feriam ſextam, in qua Chriſti Paſſio facta eſt; diem verò 25. in Dominicam Reſurrectionis incurrere, anno Tiberij Imperatoris 18. Iuliano 76. Dionyſiano 31. ipſo Tiberio quintùm, & Ælio Sejano Conſulibus: quà, inquit, haud ſcio an ulla vel ab Archimede, vel ab Euclide magis dilucida afferri poſſit demonſtratio: quam ſtatim confirmat ex conſenſu quem habet hæc ſententia cum Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ docet captam & exciſam Ieroſolymam anno à Chriſti morte 40. Æræ communis 70. & Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum Neroniano gladio peremptos, poſt Chriſtum paſſum anno 37. Æræ communis 67.

Et Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fide.

Hæc ibi Dekerius, quæ paſſim toto libro inculcat, & quibus poteſt modis confirmat; & maximè in tertia diſputatione Theologica, theſi 1. & 2. & annotationibus ſequentibus id repetit de Decreto Synodi Cęſarienſis, & de conſenſione Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cum ſua ſententia de Chriſti morte anno communis Æræ 31. Iul. 76. Theſi verò 4. & annot. 22. De menſe Martio, & die ejus 25. Reſurrectioni Domini conſecrata, ex conſuetudine Eccleſiarum. De exciſis Hieroſolymis theſi 5. & annot. 23. poſt Chriſti Paſſionem 40. Iuliano 70. De morte D. Ioannis Evangeliſtæ tempore Trajani, theſi 8. & annot. 26. Denique de convenientia menſis Martij, & 25. ejus diei cum die creationis mundi. Et de figura agni Paſchalis cum Chriſto congruentis agit fusè theſi 10. & annot. 28. Quin etiam quidquid ſcribit in tota diſputatione 4. de 70. hebdomadibus, hoc profitetur ad ſuam ſententiam pertinere de anno illo Tiberij 18. Poteſtatis Tribunitiæ, Iuliano 76. Dionyſ. 31. & in eum vult dimidium hebdomadis 70. incidere, & Baptiſmum in 15. anno Tiberij hebdomadam 69. finire. Et in Tabella Chronologica

Digitized by Google

logica in fine libri appoſita componit annum Iulianum 76. & Tiberij 18. Tribunitiæ Poteſtatis, cum primo Paſſionis Chriſti, Æræ communis 31. Tiberio quintùm, & Sejano Coſſ. Cyclo Lunæ 13. Solis 12. Litt. Domin. G. Vrbis conditæ 784. Olymp. 202. tertio.

Mors Sejani anno Iuliano 76.

Denique in Theſi ſexta tertiæ partis diſput. Theologicæ, & annotatione ſequenti 24. ſumit argumentum de morte Sejani anno Iuliano 76. Ex Tacito lib. 5. & 6. Annalium, & Dione lib. 58. Quod, inquit, argumentum, ſi vel ſolum eſſet, voce ac digito annum nobis illum deſignaret, in quem vota omnium ſuſpirant Chronologorum, nempe mortis Chriſti. Quia videlicet ex Oroſio lib. 7. Sejanus prohibuit ne Tiberius Chriſtum in Deorum numerum referret, & à Romanis coli ſineret, cujus mortem tot miraculis inſignem Pilatus Tiberio ſignificaverat. Hæc & alia pleraque Dekerius.

Sententia Kepleri de morte Chriſti, initio pro anno 33. Æræ communis.

III. Ioannes Keplerus initio quidem exiſtimavit Chriſti Paſſionem contigiſſe anno communis Æræ 33. Iuliano 78. & à Ioanne baptizatum anno Iuliano 74. 6. Ianuarij, cùm cœpiſſet Ioannes predicare & alios baptizare anno prçcedenti Iuliano 73. atque adeo inter Chriſti Baptiſmum & Paſſionem quatuor annos integros, & aliquot preterea menſes inter quinque Paſchata contentos interceſſiſſe: hoc enim ipſe ſcribit Epiſtolà 18. ad Dekerium 12. Septembris anno 1607. datà; ubi fatetur ſe Aſtronomicum calculum ſequi, & cum Dekerio ſentire quidem in anno Baptiſmi, non autem in anno Paſſionis, & rationes Dekerij pro die 25. Martij Reſurrectioni Domini aſſignato ex Synodo Ceſarienſi, & antiqua traditione ſolvit. Opponit quoque illi primùm, quòd anno illo 31. feria ſexta non cadat in Plenilunium: ſecundò, quòd plures è Patribus in contraria ſint ſententia: tertiò, quòd feſtum Paſchæ prçceſſiſſet Plenilunium.

In Eclog. Chron. pag. 143.

Pag. 147.

Poſtea pro anno 31.

Verùm poſtea ex frequenti cum Dekerio per epiſtolas commercio, ejus rationibus victus ceſſit, & ſententiam mutavit. Et maximè ex eo quòd videret ex ſua de Natali Chriſti

Digitized by Google

Chriſti ſententia ſequi ipſum crucifixum cùm annum ætatis 38. ageret, ut ipſe Keplerus ſcribit epiſtolà 20. in cujus margine habet. *Itaque jam diſceſſi ab anno 78. & aſſentior 76.* Quam ego puto cauſam unicam, vel pręcipuam mutationis ſententiæ, cùm enim jam ante firmus eſſet in ſua ſententia de morte Herodis anno Iuliano 42. & Nativitate Chriſti Iuliano 40. ante initium Æræ communis ſolidis quinque annis, ex morte Chriſti anno Iuliano 78. manifeſtè ſequebatur mortem in 38. ætatis Chriſti incurrere. Quod cùm Dekerius abſurdum oſtendiſſet epiſt. 19. Keplerus ſententiam mutare cœpit, & Dekerij rationibus manus dedit, quas tamen antea refutaverat in epiſtola 18. ut jam diximus. Et tum deinceps totus eſt in Dekerij ſententia probanda apud ſe, & aliis perſuadenda. *Pag. 161.*

Vnde etiam in Epiſtola ad Calviſium 6. *Dominus Dekerius me expugnauit*, inquit, *credo illi Chriſtum paſſum Iuliano 76.* Et cùm objiceret illi Calviſius Novilunij, & proinde Plenilunij anticipationem eo anno manifeſtam (in quo videlicet Plenilunium eſſet 27. Martij, feria 3. & Chriſti mors poneretur feria 6. pręcedente) ipſe Keplerus reſpondet, id eum maximè movere, & quòd Epiphanius ſcribat Iudæos biduo Plenilunium anticipaſſe, & quòd etiam pręvenerint Æquinoctium; ideòque ſe Gręcum textum Epiphanij valde deſiderare; & multis ſequentibus epiſtolis conatur tueri tria tantùm eſſe Paſchata, & duos annos integros cum paucis menſibus in Chriſti Prędicatione numerandos. Et tandem epiſtolà 14. vel potiùs 13. data 5. Octobris anno 1610. Calviſium hortatur, ut ſocium ſe prębeat in reducenda hodiernorum Chronologorum temeritate ominoſa ad vetuſtiſſimorum Eccleſiæ Patrum autoritatem, circa diem, menſem, & annum Paſſionis; & plus eſſe ait in ea ignorantia dedecoris, quàm in ignoratione Nativitatis, hocque relinqui ætati noſtræ propudium, ut Aſtronomiæ fiducia fidem totius Antiquitatis in dubium vocet, Martiùmque in dubium convertat: ubi fatetur magno & forti opus *In Eclog. Chron. pag. 66.* *Epiſt. 7.* *Epiſt. 8.*

eſſe animo, auribus obfirmatis contra clamores imperitorum, & candore quoque atque ingenuitate in retractandis quæ perperam tradiderat. Quod ipſe quidem à Dekerio tractus perfecit, ſed Calviſium non pertraxit, qui ſic ei reſpondet. De Paſſionis Chriſti anno vis ut tecum ſentiam, & anno 31. Æræ Chriſtianæ adſcribam. Cur id non poſſim, hæ ſunt meæ rationes. Plenilunium eo anno factum 27. Martij feria 3. ſi jam Paſcha feria 7. præcedente celebratum eſſet (vult hic Autor cum Scaligero Iudæos in Sabbatum Paſchæ celebrationem diſtuliſſe, non Chriſtum, qui feria 5. agnum comedit, & 6. paſſus eſt) tunc Chriſtus die nonâ Lunæ (nempe ſex, diebus ante 14.) Paſcha celebraſſet, cùm die decimâ tandem Agnus Paſchalis eſſet ſeparandus. Et deinde indictus fuiſſet menſis Paſchalis (ἐκ φάσεως, ut putat more conſueto) cùm Luna adhuc ad Orientem conſpiceretur (ante ortum Solis) ubi & vult Iudæos diligentiſſimè Lunæ curſum obſervaſſe.

Keplerus à DeKerio tractus Calviſium non pertraxit.

Epiſtol. 15. 27. Decemb. 1610. Pag. 88. In Eclog. Chron.

Calviſij rationes contra Keplerum optimæ.

Non magis in ſuam ſententiam adduxit Keplerus alium ſuum amicum, qui in epiſtolis ad eum nomen adſcribi ſuum noluit, & ei objicit quòd paſſus ſit ſibi perſuaderi Paſſionem Chriſti ante Plenilunium contigiſſe.

Epiſt. 32. in Eclog. Chron. pag. 206.

Perſtat tamen in ſua & Dekerij ſententia Keplerus, & Epiſtolâ ad eum amicum ultimâ paulò fuſiùs explicat quod paucis in ultima ad Dekerium concluſerat θέαν hanc ab Epiphanio defendi, & evinci Chriſtum eſſe mortuum anno Iuliano 76. biduo ante Æquinoctij ſedem; id eſt, 10. Calend. Aprilis, feria 6. quam ſententiam Dekerius hortatur Keplerum ut amplectatur; eàmque fuſiùs exponit, & probare conatur Keplerus integrâ & bene longâ epiſtolâ 16. ubi multa de Traditionibus circa mortem Chriſti menſe Martio, & Reſurrectione 8. Cal. Apriles, ſeu 25. Martij: & de Synodo Palæſtina, & aliis conſequentibus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, in quibus totam ſuam ſententiam fundat, planè inſiſtens Dekerij veſtigiis.

In Eclog. Chron.

Pag. 207.

Pag. 193.
Perſtat Keplerus in ſua ſententia.
Epiſt. 21.
Pag. 174.

IV. Pater

IV. Pater Dionyſius Petavius tam in Animadverſionibus ad Epiphanium, quàm in libris de doctrina, & Rationario Temporum, annum Æræ communis 33. Chriſti Paſſioni aſſignat, Tiberij Imperatoris 17. Olympiadis 202. 2. nondum finitis, anno Iuliano 76. ſub Conſulibus Tiberio quintùm, & Sejano.

Sententia Petavij de morte Chriſti anno 31. Æræ communis.

Cujus ſuæ ſententiæ prẹter autoritatem Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, & aliorum, quos ei favere arbitratur, fundamenta ſtatuit in conſenſione quam Hiſtoria Eccleſiaſtica ponit in morte Chriſti, & aliis multis rebus geſtis, quas fuſiùs enarrat in Animadverſionibus in Epiphanium, & ſummatim libro 12. de Doctrina Temporum, quas ad quatuor capita revocat: primò, ad Pauli Romam adventum, anno 25. poſt Chriſti Paſſionem: ſecundò, ad mortem Apoſtolorum Petri & Pauli, anno à Chriſti morte 37. tertiò, ad mortem Pauli, annis poſt converſionem quinque & triginta: quartò, ad excidium Ieroſolymorum, 40. poſt Chriſti mortem anno. Quibus capitibus quintum adjungit, autoritatem Concilij Cẹſarienſis, ubi Patres Chriſtum paſſum aſſerunt 10. Calend. Aprilis, à mortuis redivivum 8. qui characteres annum predictum deſignant Æræ communis 31.

Fundamenta Petavij.

Cap. 12.

De die autem Paſſionis ait vulgò quidem eum exiſtimari Plenilunium, ſeu Lunæ 15. ſed ex Cycli vitio factum, ut tum fortè popularis Neomenia Novilunium triduo anteverteret: ideoque etiamſi Plenilunium medium in Meridiano Ieroſolymitano eo anno 26. Martij, feria 2. obvenerit; Civile tamen, & vulgò exiſtimatum 23. feria 6. celebratum ſit.

Hæc ſummatim Petavius, quibus tota Dekerij doctrina comprehenditur, quam fuſiùs explicaverat in Animadverſionibus in Epiphanium, & ubique laudat, & ſequitur.

In hæreſim 51. *Alogorum.*

Ad quæ etiam revocari poteſt quidquid Pater Ægidius Bucherius Dekerium, Keplerum & Petavium ſecutus, ſcripſit partim in Commentario quem edidit de

Sententia P. Ægidij Bucherij eadem.

Digitized by Google

doctrina Temporum in Victorium Aquitanum, & alios Canonum Paſchalium Scriptores: partim alibi, ubi eadem omnino argumenta proponit.

Cap. 154.

De eadem ſententia ſatis multa habet Hervuartus in ſua Chronologia, etiamſi eam non ſequatur: ubi ſententiam Dekerij, & Kepleri eo præcipuè nomine refellit, quòd die Martij 23. quâ volunt illi Chriſtum paſſum, nondum fuit tempus Plenilunij, etiamſi primus Lunæ dies ab apparente Luna numeraretur; eaque de cauſa ait temporibus Honorij I. Papæ creditum Chriſtum reſurrexiſſe anno 31. Æræ communis, 1. die Aprilis.

Et M. Antonij Capelli eadem in multis.

Multa item M. Antonius Capellus, qui eam in anno Iuliano 74. & Olympiadis 202. 2. & in menſe Martio ſequitur, ex traditionibus Antiquorum Eccleſiæ Patrum, & contra Aſtrologorum obſervationes ſic confirmare nititur Aſtronomiæ imperitos, ut ad Aſtronomorum voces non trepident, & Cycli vitium apud Iudæos admittere non formident.

Diſſert. de Cœna Chriſti, cap. 5.

Reſpondetur ad fundamenta hujus ſententiæ.

V. Hæc ſunt fundamenta ſententiæ, quæ Domini Paſſionem factam vult anno Iuliano 76. Æræ communis 31. quibus modò reſpondendum eſt, & eò validiùs ſententia noſtra de anno 33. confirmabitur, quò generoſiùs fortiſſimis adverſariis reſiſtet, & quò ſolidiùs argumentis contrariæ ſatisfaciet.

Et primùm quidem, quod ſpectat ad autoritatem Patrum veterum; certum eſt eos non adeo exactè Paſſionis Chriſti annum vel examinaſſe, vel definiviſſe, & multos graveſque errores in ſuis hac de quæſtione aſſertionibus admiſiſſe. Nam ipſe Africanus omnium antiquiſſimus, dum aſſignat Paſſioni Chriſti annum Olympiadis 202. ſecundum, ſimul ei conjungit annum Tiberij 16. qui ei anno non quadrat: & Syncellus referens hanc Africani ſententiam de anno 2. Olympiadis 202. rectè eum corrigit, cùm ait eum duobus annis à vero aberraſſe.

Africanus duobus annis aberat in anno Paſſionis Chriſti.

Δυεῖν ἔτεσι διήμαρτε. *Chron. ad an 33.*

Et Epiphanius, aliique qui Chriſtum ponunt Martio menſe crucifixum, multa ſimul conjungunt, quæ neque

Mors Chriſti in menſe Martio non ſolidè probatur.

cum

Digitized by Google

cum rei veritate conſonant, neque cum ſententia quam oppugnamus concurrunt; ut poſtea fuſiùs explicabitur in exponenda autoritate Patrum, & Synodi Cęſarienſis.

Vt nec mors Boni Latronis.

Similiter quoque quod traditur de commemoratione Boni Latronis ad diem 25. Martij, hoc nullus Veterum affirmat, & ex perſuaſione eorum qui Chriſti mortem eidem diei affigebant, inductum eſt in Martyrologia, quæ non adeo antiqua ſunt, & ſępe autoritatis dubiæ. Et ſi verum eſſet, falſa eſſet ſententia quam hic refellimus; vult enim Chriſtum reſurrexiſſe 25. Martij, non paſſum: quod tamen valde multi, & antiqui, & recentiores, docent; quos non refellunt qui dicunt eos malè uſurpaſſe diem Paſſionis, & non ſatis diſtinxiſſe duo Paſchata ϛαυρώσιμον, & ἀναϛάσιμον. Id enim gratis dicitur, & ſine fundamento: & qui Chriſtum paſſum dicunt 25. Martij, docti & intelligentes ſunt, & valde multi.

Chriſtum mortuum menſe Aprili ſolidè probavit Toſtatus.

Et ſanè cùm Alfonſus Toſtatus, quòd Chriſtum Dominum non menſe Martio, ſed Aprili paſſum in publicis diſputationibus theſibus propoſitis defendiſſet, in judicium coram ſummo Pontifice vocatus fuiſſet; ipſe poſtea Defenſorium ſuæ ſententiæ conſcripſit tam validis rationibus pręſidiiſque munitum, ut ea deinceps tutiſſima, & omnium certiſſima, apud doctos pręcipuè, & Aſtronomiæ legum peritos, haberi cœpta ſit.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 15.

Petavij ingenua ſententia de erroribus veterum ſine examine receptis.

Quamobrem valde ad hoc argumentum, & noſtram mentem commodè, P. Petavius: Multa ſunt, inquit, in hac pręſertim temporum doctrina, quæ à vetere aliquo Chriſtianis è Patribus memorià prodita ſemel, ab aliis deinceps ἀβασανίστως, & incurioſiùs accepta ſunt, & ſummam ſibi autoritatem, non tam veritatis pondere, quàm ſuffragiorum numero ac dignitate, pepererunt, quæ fallitatis manifeſtæ poſtea convicta paulatim obſoleverunt. Inter hæc traditio illa ſanè perantiqua cenſebitur, quæ duobus Geminis Conſulibus Martij 25. Paſſionem attribuit. Et paulò poſt: Itaque meritò hoc noſtro ſęculo ab eruditis Annalium Scriptoribus, aliiſque

viris

Digitized by Google

viris doctis utcunque repudiatur: quibus addit. Sanè Baronius anno 34. antiquam illam πρόληψιν à veteribus comprobatam, à recentioribus pene ad Eccleſiæ dogma tranſlatam, & Martyrologiis inſertam de die Paſſionis in 25. Martij collocando non dubitavit excludere, eámque Aſtronomicis è Tabulis falſitatis convincere. Quod bonâ ipſius veniâ mihi licere velim contra ipſum & contra Dekerium uſurpare, circa ipſorum ſententiam de menſe Martio, & Reſurrectione Chriſti, in ejus 25. die collocanda. Ita ut nulla prorſus vis habeatur opinioni quæ Chriſtum aſſerit menſe Martio vel mortuum, vel è mortuis excitatum.

Synodus Palæſtina multa involvit dubiæ fidei.

V. Et re verà circa autoritatem Synodi Palęſtinæ, in qua Dekerij pręcipuum fundamentum ſuæ ſententiæ poſuit, & cujus quaſi mole, pondere Antiquitatis, & Decreto Sedis Apoſtolicæ, Keplerum etiam non Catholicum oppreſſit, conſtat eam tantam non eſſe, quantam qui eâ uſus eſt credi voluit: primò, quia majorem fidem non inducit de octavo Calendarum Aprilis, ſeu de vigeſimo quinto Martij die in Reſurrectione Domini, quam in Æquinoctio Verno & Plenilunio; ex hoc enim inferunt Patres illius Synodi Chriſti Reſurrectionem factam 8. Calendarum April. in Æquinoctio & Plenilunio; quia caput mundi, id eſt, primus dies in quo mundus conditus eſt, ab iis exiſtimabatur 25. Martij in Æquinoctio Verno & Plenilunio: quod non modò de fide non eſt, ſed falſum creditur à pleriſque communiter, qui mundum in Autumno conditum credunt, & in Novilunio, ut menſis initium à Luna ſumeretur, & ipſe Keplerus in Æſtivo Solſtitio, & Novilunio cum Eclipſi Solis totali mundum conditum ſcribit. Et ſanè initio mundi & ævo Chriſti in eodem die Æquinoctium Vernum eſſe non potuit, quia ſedem ſubinde mutat, & non erat quando Chriſtus paſſus eſt in 25. Martij die, ſed in 23. aut 22. ex confeſſione ipſius Kepleri in epiſtola 18. ad Dekerium, quod confirmat approbatione Clavij.

Beda lib. de Verno Aequin. in fine.

In Tabul. Rudolph. cap. 29. in fine.

Eclog. Chron. pag. 144.

iſtius

Digitized by Google

Secundò, quia ipſius Bedæ teſtimonio eo ipſo loco, quo iſtius Synodi Cęſarienſis mentionem facit, & Epiſtolæ Theophili fragmentum recitat, ait multorum latè doctorum Eccleſiaſticorum ſententiâ vulgatum, Chriſtum crucifixum 8. Cal. Apr. 6. reſurrexiſſe. Et verò longè plures Chriſtum paſſum volunt eodem 25. die menſis, quo & natus eſt, quàm reſurrexiſſe. Tertiò, ipſe Beda alio anno, & proinde alio die Chriſti Paſſionem contigiſſe ait, nempe 34. ab Incarnatione, idque in eodem ipſo loco. Et ipſe Scholiſtes Bedæ ibi ſcribit noluiſſe ſe illam Synodicam Theophili Epiſtolam apponere, quia magis irriſionem prę̨ſtat inſipientibus, quàm ædificationem ſapientibus, propterea quod cùm ponat Dominum paſſum undecimo Calend. Apriles, ſurrexiſſe octavo, videtur inſinuare intercedere à morte ad Reſurrectionem plus temporis, quàm re ipſa concedendum ſit ex Evangelica veritate.

De tempor. rat. cap. 45.

Neque verò magna fides habita ab antiquis videtur huic Synodo, cujus hoc unicum Epiſtolæ Theophili fragmentum reſtat, nec ipſis ætate Bedæ ſuperioribus notum. Quare plerique recentiores, qui mentionem ejus in ſuæ ſententiæ confirmatione faciunt, non valde illi innituntur. Immo Petavius ad hęreſim Alogorum de ea loquens: Quod, inquit, Dekerius noſter hanc Patrum opinionem Sedis Apoſtolicæ declarationem, ac velut Eccleſiæ definitionem appellat, nihilo id verius eſt, quàm quod eadem in Synodo dictum eſt, Æquinoctium 25. Martij committi anno Chriſti 198. & quod longè abſurdius eſt, eodem illo die initio conditi orbis hęſiſſe.

Pag. 175.

Denique non malè obſervat Ioannes Lucidus communem illam opinionem, quòd Chriſtus menſe Martio paſſus eſſet, & reſurrexiſſet, invaluiſſe; quia in Plenilunio menſis Niſan Iudaici Paſcha celebratum eſſet, & ſubinde menſis Martij Lunatio uſurparetur in Eccleſia ad Paſchæ celebrationem. Sed obſervandum eſt Niſan Iudaicum non ſemper Martio Iuliano reſpondere, ſed aliquando Aprili; & Plenilunium Paſchale aliquando in Martio, aliquando

Martius pro Niſan malè aliquando uſurpatur.

In Chron. lib. 7. c. 2.

aliquando in Aprili contingere.

VII. Contra iſtam ſententiam oppoſitum hoc maximè eſt, quòd characteres Plenilunij & feriæ ſextæ, quos Evangelium requirit, non haberet. At Autores ejus ſe eos habere aſſerunt in anno Æræ communis 31. non quidem veros ſecundùm leges Aſtronomiæ, ſed populares, & vulgò creditos juxta uſum Cycli Paſchalis quem Iudæi tunc temporis ſequebantur, teſte Sancto Epiphanio, quo factum eſt, ut Chriſtus agnum Paſchalem comederit die 22. menſis Martij, paſſus fuerit 23. & reſurrexerit 25. anticipando triduo dies legitimos propter vitium Cycli, qui repræſentabat Plenilunium die 23. Martij 10. Calend. April. feria 6. populariter, quod tamen ſecundùm veros motus Aſtronomicos contingebat 27. Martij, 6. Calend. April. feria 3. ſequente.

Hæreſ. 51. quæ eſt Alog.

Vitium Cycli Iudaici, fundamentum ſententiæ de anno Paſſionis 31. Æræ communis.

Ex hoc Cycli vitio Sancti Epiphanij autoritate firmato, qui ipſe Iudæus erat, & temporibus Chriſti ſatis vicinus, Autores ſupra nominati pro hac ſententia præcipuum fere ſuæ opinionis munimentum ponunt. Vnde Keplerus valde ait deceptos noſtros his ultimis 150. annis, qui ex ſua perfecta Aſtronomia Plenilunia ad Chriſti tempora, ex Pleniluniis feſta Iudæorum, ex iſtisque & concurſu feriæ annum Paſſionis auſi ſunt determinare alium, quàm veteres ætati Chriſti proximi tradiderunt.

In Eclog. Chron. epiſt. 16.

Non leges Aſtronomiæ.

Et Petavius cùm dixiſſet Epiphanium in Hæreſi Alogorum 51. teſtari vitioſo Cyclo uſos eſſe Iudæos tempore Paſſionis Chriſti, ac biduo tum Neomeniam Niſan ab exacto Novilunio κατὰ προέμπτωσιν diſceſſionem feciſſe, ut ait ſe in ſuis Animadverſionibus pluribus expoſuiſſe: In quibus ſcribit, verum Dominicæ Paſſionis annum fruſtra hactenus per Aſtronomicos abacos & cœleſtes ſiderum motus indagatum fuiſſe; quod tunc denique verum foret, ſi Iudæi Solaris & Lunaris anni ratam & conſtantem rationem tenuiſſent. Sed cùm ab ea majorem in modum deflexerint; ſi ſapimus, inquit, inſiſtenda via eſt, ut autoritate magis Scriptorum veterum, ac conſenſu, quàm

De doct. temp. lib. 12. cap. 11.

Ad hæreſim 51. pag. 174.

quàm accurata cęleſtium motuum deſcriptione nitamur. Cùm inquam hoc dixiſſet capite 11. lib. 12. de doctrina temporum, cap. 12. ſic exorditur. Extortâ igitur vetere atque tritâ Paſſionis indagandæ viâ, quæ Aſtronomicis demonſtrationibus, ac Lunæ rationibus innititur, unicum ſupereſt autoritatis pręſidium, &c. Quibus ſignificat ſuam ſententiam in autoritate Epiphanij circa vitium Cycli Iudaici potiſſimum fundari. Sed miror primùm, quomodo viri Aſtronomicæ ſcientiæ peritiſſimi tam facilè à ſuo hoc validiſſimo pręſidio diſcedant, & relictis certiſſimis, & nunquam fallentibus temporum examinandorum regulis, ad dubias & incertas vitioſi calculi conjecturas confugiant, ubi pręſertim manifeſta eſt Sacræ Scripturæ ſententia, quæ Plenilunium & diem Veneris ſimul componit, & ſecundùm Patrum & Theologorum leges optimas, in ſenſu quem præ ſe fert intelligenda, n ſi manifeſta ratio, aut abſurda conſequentia, alterius interpretationis viam aperiat. Cùm ergo in prçſenti negotio Evangelium planè & ſimpliciter Chriſtum in Paſchatis feſtivitate, in Paraſceve Sabbati, die ſequente agni eſum, paſſum dicat, & hic eſus agni ſemper fieret ex precepto legis Divinæ decimo quarto Lunæ die, id eſt, proximè ante Plenilunium; conſtat id intelligendum de Plenilunio ſecundùm leges Aſtronomicas uſurpato; cùm nihil ſit quod ei intelligentiæ obverſetur, aut eam falſi arguat; non autem recurrendum ad teſtimonia valde dubia, & unius duntaxat Autoris, ut rei certæ, & clarè in Scriptura poſitæ fides in dubium vocetur.

Cap. 12.

Leges Aſtronomiæ Evangelio conſentiunt in anno mortus Chriſti.

VIII. Non minus mirum deinde eſt ab iis qui Synodi Palęſtinæ autoritate utuntur, ut Chriſtum ſuſtineant anno 31. Æræ communis, 23. die Martij, id eſt, Cal. Aprilium 10. paſſum; & 25. id eſt, 8. Calendarum reſurrexiſſe, uſurpari teſtimonium Epiphanij, qui nihil ſatis certi de anno aſſerit, & conſtantiſſimus eſt in aſſignando, & ſępius, alio die. Vult enim ubique Chriſtum baptizatum anno 30. fere abſoluto, ante Conſulatum Geminorum

Epiphanij teſtimoniũ non convenit cum Synodo Palęſtina.

Digitized by Google

norum, & poſt Baptiſmum tres alios Conſulatus numerat, & in 4. Paſſionem ejus aſſignat (duobus annis cum quinque menſibus inter Baptiſmum & Paſſionem interjectis) quia cùm Baptiſmum ponat menſe 10. Conſulatûs 30. à Nativitate, quam ponit in Ianuario; duo tantùm ſuperfuere menſes illius Conſulatûs: mortem verò in Paſchate Conſulatûs 33. menſe Martio. Vnde duo anni & tres menſes colliguntur, omnino autem duo anni & quinque menſes. In quibus tria reperit Paſchata ſolùm, quia vult Chriſtum baptizatum poſt Paſcha anni 30. Vt ut autem ſit de quatuor illis Conſulatibus, & de ipſo quarto, in quo Chriſti Paſſionem collocat, quem vult eſſe Vinicij, & Longini Caſſij; certè conſtat in Conſulatu duorum Geminorum, & ſequenti, Epiphanium eſſe deluſum: Rufus enim, & Rubellius, quos poſt Geminos Conſules nominat, fuere ipſi Gemini.

Suffragium Epiphanij pro anno 31. nullũ eſt.

Hæc de anno ab Epiphanio aſſignato, unde nihil certi colligi poteſt pro anno 31. Æræ communis; & proinde ſuffragium Epiphanij pro anno illo planè caducum eſt.

Immo & contrarium pro anno & die.

Dies autem clarè repugnat, immo & annus: ſępe enim ſępiùsque ait Chriſtum paſſum ad ante diem 13. Calend. Aprilium, id eſt, 20. Martij. Hæc enim clara ſunt Epiphanij verba. *Anno quippe ab Incarnatione, ætatúque ſuo triceſimo tertio, conſtat Vnigenitum Dei Filium eſſe paſſum.*

Εὑρίσκεται γὰρ ἐν τῷ τριακοστῷ τρίτῳ ἔτει ἐνσάρκου παρουσίας πάσχων ὁ μονογενής. *S. Epiphanius hereſ. 51. Alogor. num. 23.*

Hæc pro anno ætatis Chriſti, quæ quo anno Æræ communis conveniant, non conſtat. Addit autem paulò poſt. *Quocirca poſt eos Conſules, qui in annum illius 30. incidunt, par aliud Conſulum ſequitur Geminorum duorum, deinde Ruſi & Rubellionis, quibus ſucceſſère Conſules Vinicius ac Longinus Caſſius, ſub quibus Saluator paſſus eſt a. d. 13. Calendas Aprilis. Ex quo*, inquit, *omnium illorum conuincitur error, & certiſſima veritatis doctrina monſtratur, non duo ſolùm in Scripturis Paſchata, ſed & tria reperiri.*

πάσχει ὁ σωτὴρ πρὸ ιγ'. Καλανδῶν Ἀπριλλίων. *Idem ibid.*

Hoc enim eo loco pręcipuè contendebat, ut demonſtraret tria ſaltem Paſchata inter Baptiſmum & Paſſionem intercedere. Quartum autem facilè reperiſſet, ſi menſe Ianuario in primo Conſulatu ex illis quatuor initio anni

anni 30. ut modò tenet Eccleſia, non autem in Novembri Chriſti Baptiſmum poſuiſſet: Paſcha enim illius anni fuiſſet poſt Chriſti Baptiſmum, & primum fuiſſet ex quatuor. Sed hæc ſententia de Baptiſmo in menſe 10. anni 30. communiter improbatur, ut & de Nativitate 6. Ianuarij, quam ideo dictam vult Επιφάνια: de quibus hæc eodem fere loco. Cùm Ianuario menſe natus eſſet 8. Idus Ian. qui eſt apud Romanos Ianuarij dies ſexta, &c. omnes illos quos ſupra recenſuimus 29. integros Conſulatus percurrit, ſub triceſimo deinde Conſulatu, menſe 10. ad Ioannem acceſſit, ab eoque baptizatus eſt anno à Natali ſuo 30. Quæ iterum poſt nonnulla de anno & die Paſſionis repetens, ait. *Biennio jam elapſo poſt Baptiſmi ac Nativitatis diem, hoc eſt, poſt Novembrem ac Ianuarium* (in quorum illo vult Chriſtum baptizatum, in hoc natum) *anno ab Incarnatione ſua 33. prætevitis jam quos diximus Conſulatibus amborum Geminorum, Rufi & Rubellionis, tertio demum Conſulatu, itidémque tertio poſt Ianuarium ac Februarium menſe, qui Martius dicitur, Verbum illud paſſionis expers, Paſſionem in carne ſua noſtrâ causâ ſubiit.* Hæc ibi iterum de anno & menſe Paſſionis Chriſti. De die verò paulo poſt. Paſſus eſt, inquit, 13. Calend. Apriles. Sic ipſe Petavius vertit quod Græcè habetur ante 13. Calend. Apriles, quod alias ſic vertit A. D. & communiter dici ſolet Ad ante Diem, vel Ante Diem, & pro ipſo die qui nominatur, ab omnibus, ut hic à Petavio uſurpatur; & notatur in Animadverſionibus in Epiphanium, fortè quia Aſtronomi ſolent non diem incompletum ſeu currentem, ſed completum & præcedentem horas & minuta ſuperaddita, in ſuis rationibus nominare, cùm tamen illæ horæ & minuta ad diem currentem pertineant. Et tertiò adhuc poſtea repetit de anno ætatis 33. & ejus fine, ſeu morte Chriſti in die 13. Calendas Apriles: quibus planè conſentaneè bis aſſerit Reſurrectionem Chriſti factam 11. Calendas Apriles, id eſt, Martij 22. Ipſo, inquit, Æquinoctij die, quod jam ſupra dixerat, ponens in eodem

Sententia Epiphanij de die Nativitatis & Baptiſmi Chriſti ſingularis.

Ἐν τῷ τριακοστῷ τρίτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ ἐν σαρκὶ οἰκονομίας. *Idem ibid.*

Πάσχει δὲ ἐν τῇ πρὸ δεκατριῶν Καλανδῶν Ἀπριλλίων. *Idem ibid. num.* 26.

Ad hæreſ. 50.

Num. 27.
Ἥτις ἦν ἰσημερία, πρὸ ια. Καλανδῶν Ἀπριλλίων.
Idem ibid. num. 27.

Digitized by Google

Epiphanius Reſurrectionem Chriſti factã vult die Æquinoctij & Plenilunij.

Ἐπιφώσκουσα κυριακὴ πιν καὶ δεκάτη νυκτημερινή. ὅπερ ἦν φωτισμὸς ἅδου καὶ γῆς, καὶ οὐρανοῦ, καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας. διὰ τὴν πεντεκαιδεκάτην σελήνης καὶ τὸν ἡλίου δρόμον.
Idem ibid.

Diem Paſſionis 20. Martij. Reſurrectionis 22. vult S. Epiphanius.

Acta Pilati viſa ab Epiphanio.

dem 11. Calend. Apriles Lunam 15. ſeu Plenilunium & Chriſti Reſurrectionem, ubi ſic loquitur. *Demum Dominica dies illuxit, quæ Inferos, terram atque Cœlum ſua luce colluſtrauit, propter Lunam 15. Soliſque curſum, & quia Reſurrectio & Aequinoctium in A. D.* Id eſt, ut paulò ante monui, & hic ipſe locus convincit, in ipſum diem 11. *Cal Aprilis, concurrunt.*

Hæc eo loco tam conſtanter Epiphanius de die Reſurrectionis 22. Martij, & die Paſſionis 20. ejuſdem, ut de ejus mente dubitari non poſſit, immo etiam, ut ex eo velit eos qui in contraria ſunt ſententia redargui, velut à veritate alienos: ſic enim infert. *Ex quo omnium illorum manifeſta mendacia ſunt, qui veritatis non ſunt filij.*

Quod & alibi præſtat, arguens Quartodecimanos Hæreticos, qui ex Actis Pilati accuratam ſe Paſchatis celebrandi rationem habere gloriabantur: In quibus ſcriptum erat Chriſtum paſſum 8. Calend. Apriles. Ait enim ſe quoque vidiſſe exemplaria quædam Actorum illorum, quæ diem 15. Calend. Aprilium Chriſti Paſſioni aſſignabant; & addit. *Verùm certò illud & ex rei veritate comperimus A. D. 13. Calend. April. paſſum eſſe Saluatorem, alij ad diem 10. Calend. April. rejiciunt, ſed iſti à propoſito exciderunt.*

Τ' ἀληθῆ δ' ὡς ἐκ πολλῆς ἀκριβείας ἐγνώκαμεν. ἐν τῇ πρὸ δεκατριῶν Καλανδῶν Ἀπριλλίων τὸν Σωτῆρα πεπονθέναι κατειλήφαμεν.
Ἐξέπεσον δὲ καὶ οὗτοι τοῦ προκειμένου.
Idem hereſ. 50. Teſſareſcædecatitarum.

Hactenus de anno & die Paſſionis ex mente Sancti Epiphanij, quæ paulò fuſiùs datâ operâ referre volui, ut planè de ejus mente conſtaret, & viderent qui ejus unicâ autoritate nixi apertum Evangelij ſenſum aliò detorquent, quod patrocinium in eo inveniant, à quo tam manifeſtè ut veritati contrarij condemnantur.

IX. Sed, inquient, Epiphanij teſtimonium pro ſolo Cycli Iudaici vitio uſurpamus; negari enim non poteſt quin aſſerat Iudæos, qui Chriſtum proſequebantur, biduo ante legitimum diem Paſcha ediſſe, & cauſam erroris aſſignet malè intellectam, atque obſervatam ex vitioſo Cyclo dierum & menſium Lunarium intercalationem: Quæ, inquit, cùm illis aberrandi cauſa fuiſſet, non

Digitized by Google

non modò perturbantes omnia, biduo legitimum Paſchatis tempus antevertunt, &c. ubi ait Chriſtum eo modo quo ceteros Iudæos, cum diſcipulis Paſcha Iudaicum comediſſe, ut legem impleret.

Ex hoc ergo Cycli Iudaici vitio, ita à Sancto Epiphanio comprobato, volunt factum, ut anno 31. Æræ communis Chriſtus Paſchalem agnum comederit cum diſcipulis die 22. Martij, feria 5. ad veſperam, Luna æſtimata 14. vera tamen 11. & ſequenti die 23. feria 6. ſit paſſus; die Dominica 25. reſurrexerit, triduo prçveniens legitimum Lunæ diem, propter vitioſum ejus ætatis Cyclum, ad quod ſolum Autores illi teſtimonium Epiphanij accerſunt.

Vitium Cycli Iudaïci ab Epiphanio aſſeritur.

Verùm ut de teſtimonij fide plura non dicam, cùm jam ſupra ſatis multa jam dicta ſint, & in ipſo Autore reprobata; de ipſo contextu certiſſimè conſtat illum eſſe admodum obſcurum, ne dicam in multis vitioſum, quod Keplero ipſi in Epiſtola 23. ad Dekerium poſt longam & diligentem ipſius Grçci textûs examinationem viſum eſt, & Petavio, qui diligentiam Kepleri in eo illuſtrando laudat, & ſibi faviſſe aſſerit, verborum tamen mendum accuſat, & Keplerum corrigit.

In Eclog. Chron. Pag. 176. & ſeqq. & 192. & 193.

In Animadverſ. in hereſ. 51: Epiphanij.

Et ſanè vix poteſt intelligi quid ſibi velit quod ait ibi Epiphanius, Iudæos veſperam unam antevertiſſe, hoc eſt, Luna 14. nocturna media, & biduo ante legitimum diem epulum Paſchale celebraſſe feria 3. Quid ſibi velit quod ait feria 3. Iudæos feciſſe quod feria 5. fieri oportuit, & Chriſtum feria illa 3. ad veſperam comprehenſum, cùm conſtet ex Evangelio feria 5. id factum eſſe. Quid denique alia quæ tradit ibi de Cyclo illo vitioſo, & modo intercalationis ejus; & quamvis poſt Keplerum & Petavium Bucherius multùm laboraverit in corrigendo & explicando textu Epiphanij, lucem tamen ei dare non potuit, & conſtat totum ejus & aliorum laborem aliud non probare, quam vitium textûs, & nullo modo veri Cycli quo Iudæi tempore Chriſti uſi ſunt, niſi ſola autoritate

Textus Epiphanij obſcurus & vitioſus.

Hær. 51. num. 27.

De Paſchali Iud. Cyclo, cap. 7.

ritate Epiphanij.

Quid ergo ſibi favoris invenient Autores illi in teſtimonio, & obſcuro planè, & veroſimiliter admodum corrupto? Quantùm hęredes in teſtamento ſimili, cujus ſenſus capi non poſſet ex verbis, cujus integritas ſuſpecta eſſet falſitatis, & quod multa contra eos ipſos qui illud producerent, contineret. Videant an uti velint.

Suis Autoribus non prodeſt.

X. Accedit quòd nullum aliunde veſtigium erroris, aut vitij, extet in tota diſpoſitione Paſchatis, aut celebratione Feſtorum Iudæorum ante & circa ætatem Chriſti, immo in Ioſepho plura teſtimonia ſunt quibus conſtat Iudæos Cyclo uſos conſentiente cum Tabulis Aſtronomicis: quale eſt quod ait 14. menſis Xantici, qui apud Ioſephum eſt Aprilis ipſe Romanus, celebratum fuiſſe Paſcha eo anno quo Vrbs Ieroſolymorum capta & vaſtata eſt. Et quod quinque ante annis 8. die ejuſdem menſis. Et quod Pentecoſte poſt Sabbatum celebrata ſit, eo anno quo ſuſcepta eſt expeditio Parthica ab Antiocho Sidete, Olympiade 162. ineunte proximè, die 2. Iunij, feria 1.

Cyclus Iudaïcus legitimus circa ætatē Chriſti, ex Ioſepho.

Lib. 6. Bell. Iud. cap. 4.

Lib. 7. cap. 12.

Ὀλυμπιάδος ρ καὶ ξ καὶ β. *Ioſeph. Antiq. lib. 13. cap. 16.*

Quæ belliſſimè cum Cyclis legitimis, & Tabulis Aſtronomicis conſentiunt. Fruſtra ergo accuſatur vitium Cycli Iudaici, & ejus prętextu characteres Evangelici anno Paſſionis Chriſti convenientes perturbantur.

Et quamvis ex nullo vero indicio demonſtrari poſſit quo Cyclo Iudæi antiquitus uſi fuerint in ordinatione anni ſui, & Civilis, & Sacri, dubitare tamen non licet, quin Gens illa tam religioſa, & cultui rerum ſacrarum adeo addicta, & in minimis etiam ceremoniis ſervandis exacta, modum aliquem exquiſitum à Deo per Moyſen acceperit, quo legitimè annus ſacer dirigeretur, & ab inordinata perturbatione aliàs inevitabili vindicaretur.

Quo Iudæi antiquiores Cyclo uſi ſint ignoratur.

Quapropter quidquid P. Ægidius Bucherius in toto Tractatu de antiquo Paſchali Iudæorum Cyclo doctè & ingenioſè diſputavit, non demonſtrat eos eo Cyclo uſos eſſe temporibus Chriſti, aut ſupra; ſed quaſi uſi eſſent

ſupponit

Digitized by Google

ſupponit, & in hac ſuppoſitione quędam eis cum aliqua veriſimilitudine accommodat, ut defendatur Cycli, quo uſi tunc dicuntur, vitium, quod etiam ſupponitur, nec probatur. Quod etiam de errore bidui, triduive in anticipatione Plenilunij & Æquinoctij, in celebratione Paſchatis Iudæorum, dicitur à Petavio, aliiſque, qui ſententiæ ſuæ firmamentum maximum in eo Cycli vitio reponunt; id quidem dicitur fieri potuiſſe ſequendo rationes Cyclorum quos aſſignant; & Iudæos ſecutos aſſerunt, ſed Iudæos antiquitus eos ſecutos, & in vitia illa incurriſſe non probat. Vnus eſt locus ex Canone Apoſtolorum 51. quem profert Petavius, qui contigiſſe id innuit; fruſtra enim prohiberetur cum Iudæis celebrare Paſcha ante Æquinoctium Chriſtianis, niſi Iudæi id aliquando facerent. Eſt autem Canon hujuſmodi. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ſanctum Paſchæ diem ante Vernum Aequinoctium cum Iudæis celebrauerit, Anathema ſit.* Vnus, inquam, hic locus affertur pro precęſſione poſſibili Æquinoctij, ſed non pro facta, pręſertim anno Paſſionis Chriſti. Et quidquid dicit Petavius de mente Epiphanij, & de cauſa cur cum anticipatione Æquinoctium, Plenilunium, & Chriſti Reſurrectionem Dominica die 22. Martij conſtituerit; id planè ſine probatione dicit, & ex ſola accommodatione Cycli Nicęni ad Calendarium Iudaicum, quæ nullo modo probari poteſt obſervata tunc à Iudæis, immo Petavius Epiphanium clarè oſtendit contra ſuam opinionem ſentire de Reſurrectione Chriſti in 25. Martij die. Sed ait Epiphanium multis modis hallucinari, & characteres dierum ſeu ferias conturbare, quod & oſtendit laterculo quod apponit. Quod ſimiliter intelligendum de conjectura Kepleri circa errorem Epiphanij.

Petavius in Animad. in her. 51. Epiph.

Anticipatio Æquinoctij in celebratione Paſchatis prohibita.

Ibid. pag. 170.

Περὶ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων. *Can. Apoſt. 51.*

Ibid. pag. 173.

Epiſt. 23. Pag. 192. & 193. Eclog. Chron.

XI. Quamobrem quidquid ſit de fide teſtimonij & autoritate pręſumpta Epiphanij pro Cycli vitio; oppono Autoribus hujus ſententiæ vitium ipſum, ſeu perturbationem quam admittunt eveniſſe in Paſchatis celebritate; primò, ut Paſcha fieret ante Plenilunium; ſecundò, ut

ante

ante Æquinoctium; tertiò, ut Chriſtus Paſcha ante alios Iudæos celebraverit. Hæc enim tria ipſa capita tria argumenta ſubminiſtrant, ut concludatur Paſcha non ita, id eſt, cum tanto vitio, celebratum.

Exod. 12.

Quantùm ſpectat ad primum, lex erat in Exodo, ut 14. die menſis Niſan, qui primus erat anni, & cuius prima dies ad Novilunium conſtituebatur, agnus Paſchalis ad veſperam occideretur.

Paſcha non celebratur ante Plenilunium.

Hoc ergo ipſo quod dicitur Paſcha celebratum aliquot diebus ante Plenilunium, hoc ipſo exiſtimandum non factum, quia Lex Divina præcipiebat ut veſperi ante Plenilunium fieret, & quamvis à perfecto Plenilunio Aſtronomico Civile interdum tantiſper abeſſet, fieri enim aliter impoſſibile eſt; tamen hæc diſtantia raro ad duos dies ſe extendebat, & Plenilunium non promovebat ad anteriora, ſed contra potiùs ad poſteriora retardabat: ita ut nunquam Paſcha ante Plenilunium, licet aliquando poſt Plenilunium, celebraretur, ut modò fit ſecundùm Canones Eccleſiaſticos, & leges Cyclorum ordinatas.

Etiam ἐκ φάσῃ Lunæ.

Ad hæreſ. 51. Epiph. pag. 179.

Et quamvis admitterem, quod jure negare poſſum, ἐκ φάσῃ, ſeu inſpectione Lunæ Neomenias Chriſti tempore celebratas, & populo annunciatas; non tamen concederem Paſcha celebratum ante Plenilunium: nam ut advertit Petavius, quando id fiebat, ex ipſa Lunæ apparente diſtantia à Sole judicabatur de tempore Synodi, & ad ejus conjecturam dies Novilunij conſtituebatur, ex ipſa Iudæorum Traditione. Et licet fieri inde poſset, ut Paſcha celebraretur poſt Plenilunium, non tamen ut ante. Et ſanè diligenter cavebatur, ne ullo modo Neomeniæ celebratio verum Novilunium, aut Paſchatis verum Plenilunium præcederet, quod ſemper in orbe pleno Lunæ ad veſperam diei 14. religioſiſſimè ab ipſa inſtitutione celebrabatur. Et Keplerus rectè Dekerio objicit Iudæos ſua feſta non anticipare, ſed poſtponere ſolitos, nec aliter ei reſpondet Dekerius, quam ex Epiphanio.

Epiſt. 18. Eclog. Chron. pag. 147. epiſt. 19. Lib. de vita Moſis.

Ἐν δὲ μηνὶ τούτῳ περὶ

Vnde Philo, Ex hoc, inquit, menſe (qui Niſan à Iudæis

dæis dicebatur, & à Deo primus Anni Sacri conſtitutus erat) circa decimam quartam Lunæ diem inſtante Luna plena aguntur Paſchalia feſta, quæ eſt celeberrima feſtivitas.

τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν, μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου πλησιφαοῦς, ἄγουσι τὰ διαβατήρια δημοτελῆ ἑορτήν. *Philo lib. de vita Moſis.*

Quare ſi tempore Paſſionis Chriſti Paſcha Plenilunium triduo prçceſſiſſet, ut aſſeritur apud Epiphanium, ipſis oculis ad Lunæ adeo à Plenitudine faciei diſtantis aſpectum, error corrigi potuiſſet, & jam ab ipſa Neomenia corrigi debuiſſet, quandoquidem triduo ante Synodum, Luna mane ad Orientem corniculata videri potuiſſet.

XII. Ad ſecundum vero de anticipatione Æquinoctij oppono, non minus ſeverè cautum fuiſſe Iudæis ab ipſo exitu à ſervitute Ægyptiorum, qui poſt Æquinoctium Vernum, Sole in Arietis ſignum jam ingreſſo, factus erat, ne ante Æquinoctium illud Paſchæ celebritatem deinceps agerent. Sic enim idem qui ſupra nominatus eſt Philo diligentiſſimus Scriptor rerum Iudaicarum obſervat, de prima Paſchæ inſtitutione à Legiſlatore ipſo facta. *Initium*, inquit, *Verni Aequinoctij primum menſem Moyſes conſcripſit.*

Paſcha non celebratũr ante Æquinoctium.

Τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μηνῶν Μωυσῆς. *Philo lib. de vit. Moſ.*

Et Ioſephus, item Iudæus, & rerum ſuarum ſcientiſſimus. *Menſe*, inquit, *Xantico, qui Niſan apud nos dicitur, & anni principium eſt, die decima quarta ſecundum Lunam, in Ariete Sole conſtituto*, Paſcha fieri ſolet. Quod etiam ſcriptis mandatum, & poſteris traditum ab antiquioribus Iudæorum Magiſtris Euſebius obſervat, & ab Ariſtobulo uno ex ſeptuaginta duobus ſenioribus ſcriptum docet: *Paſchalem agnum immolari oportet poſt Vernum Aequinoctium, in medio primi menſis.*

Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχή, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος. *Ioſeph. l. 3. Orig. c.* 10

Sed poſt illud.

Τὰ διαβατήρια θύειν δεῖ μετ' ἰσημερίαν ἐαρινήν, μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. *Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 27. & l. 8. c. 34*

Quæ planè conveniunt cum notis & characteribus primi Paſchatis à Iudæis celebrati, quando ex Ægypto diſceſſerunt; fuit enim illud, ut alibi demonſtrabo, ante Chriſtum anno Iuliano 1498. Periodi Iulianæ 3216. Cyclo Lunæ 5. Solis 24. Litt. Dominicali F. feria prima, 15. Niſan, 28. Aprilis, Sole in 23. gradu Arietis conſtituto, ut ipſæ Tabulæ Aſtronomicæ demonſtrant.

Exitus ab Ægypto poſt Æquinoctiũ Vernum, in Plenilunio.

Ex quibus exitum filiorum Iſraël ex Ægypto factum in Plenilunio inter 14. & 15. diem menſis Niſan contigiſſe poſt Æquinoctium, Sole in Ariete exiſtente, clarum eſt; ad cujus normam, lege perpetuâ ſancitum eſt, ut Paſcha deinceps fieret in Plenilunio menſis Niſan, poſt Æquinoctium.

Vnde lex Paſchatis deinceps celebrandi.

Et quanquam anno 31. Æræ communis, in quo Autores, contra quos agimus, ponunt Chriſtum comediſſe agnum Paſchalem die 22 Martij ad veſperam, exiſtiment quidam eo ipſo die Æquinoctium extitiſſe, quod ego tamen propiùs ad 23. quam ad 22. pertinuiſſe ex legibus Aſtronomiæ reor. Quia tamen Autores præcipui admittunt diem illam 22. Martij ante Æquinoctium, quod eorum plerique in 25. ponunt, & ab Epiphanio poſitum ſciunt in 22. cum Plenilunio & Reſurrectione, factâ tamen triduo ante illud Cœnâ Paſchali, die 19. ideo contra eos valet, quod Keplero amicus quidam objiciebat, Quomodo ſibi perſuaderi ſinat ante Plenilunium (addo ego & Æquinoctium) paſſum eſſe Chriſtum; & quod ipſe Keplerus Dekerio opponebat, cùm adhuc ſtaret in contraria ipſi ſententia, nempe Theophilum & Epiſcopos Synodi Cęſarienſis ideo conſtituiſſe certiſſimum terminum Paſchalem 11. Calend. Apriles, ne unquam Paſcha Æquinoctium pręveniret, quam cauſam vult ab ipſo Beda & Anatolio approbari; & cum Clavio ipſe exiſtimat tempore Synodi Cęſarienſis Æquinoctium in 22. Martij conſtitiſſe, cùm tamen illa in 25. conſtitueret.

Quam violant Autores qui ponunt Chriſtum agnum comediſſe 22. Martij.
Epiſt. 32.
In Eclog. Chron. pag. 205.
Epiſt. 18. ad DeKer. pag. 144.

Et Dekerius ipſe ait ex obſervationibus Ptolemæi, Hipparchi, & aliorum Aſtrologiæ ſcientiſſimorum, proclive eſſe demonſtrare illo Chriſti ævo verum Æquinoctium ad diem 22. & 23. Martij ſedem fixiſſe. Et Keplerus admittit anno 31. Paſcha à Iudæis celebratum ante Æquinoctium.

Diſput. Theolog. 1. parte, Annot. 2.
Epiſt. 23. pag. 186.

Neque verò ſatisfacit ipſe Keplerus, cùm ait aliâ Epiſtolâ ad amicum, falſum eſſe Epiphanium, ex eo quod ſumpta Lunæ die, & feria, & utriuſque diſtantia à ſede Æquinoctij

Epiſt. 14.
Pag. 211.
In Eclog. Chron.

Digitized by Google

Æquinoctij ex Cyclo Niceno, iiſque rectè connexis, prout cum anno Iuliano 76. id eſt, 31. Æræ communis, non opinione tantùm, ſed re ipſa conveniunt, ſtatim uno impetu omnia illa ſurſum per triduum, ex Romano Calendario transferat: quibus clariùs ſignificat Æquinoctium, & Plenilunium, & Reſurrectionem Chriſti verè pertinuiſſe ad diem 25. Martij: quæ ideo Epiphanius ad 22. tranſtulit anteceſſione tridui; credo, inquit, quia unum eorum, putà Æquinoctium, ſuo ſeculo triduo ſuperius erat annotatum, à Ceſare quidem in 8. Cal. April. à Proterio verò, & Paleſtina Synodo, in 11. Cal. April. Vult dicere Epiphanium, cùm videret Æquinoctium inter Ceſaris ætatem & ſuam triduo deſcendiſſe à 25. ad 22. Martij diem, ſimul cum illo Plenilunium Paſchale & Reſurrectionem Dominicam ad 22. illam diem deorſum inclinaſſe.

Et jam ſuperiùs in Epiſtola ad Dekerium exponens textum Epiphanij dixerat Keplerus Epiphanium *cùm videret Aequinoctium tempore Chriſti fuiſſe ex Calendario Cæſaris in 8. Calend. Apriles, inueniſſétque in Actis Pilati Paſſionem 10. Calend. ideóque Reſurrectio incideret in eundem 8. Calendas Apriles, perpendiſſe Reſurrectionem incidere in diem Aequinoctij, quæ traditio latè propagata erat. At quia ſuo tèmpore, vel paulò ante, Aequinoctium in 11. Calend. erat, Epiphanius, ut qui non de hiſtoriæ fide, ſed de Paſchatis celebritate cogitabat, hoc ſuæ diligentiæ putabat eſſe, ut ſicut Aequinoctium triduo ſedem ſuam anteuertiſſet; ſic etiam Reſurrectio & Paſſio Chriſti triduo aſcenderent in 11. & 13. Calend. Apriles.* Hæc ibi Keplerus de cauſa erroris Epiphanij; quibus planè conformia repetit paulò infra in eadem epiſtola; quæ Petavius in Animadverſ. ad hereſ. 51. Epiphanij laudat, & ſuo calculo comprobat. Sed, ut dixi, id non ſatisfacit, tum quia gratis, & ſine probatione, ex conjectura levi aſſeritur, tum quia Epiphanio graviſſimam notam vel ignorantiæ, vel hallucinationis, vel utriuſque inurit; tum quia eos non juvat errorem producere Autoris, ex quo

In Eclog. Chron. epiſt. 23. pag. 188.

Pag. 192.
Pag. 188.

Et Epiphanium accuſant.

Digitized by Google

ſolo ſuæ ſententiæ firmamentum ponunt.

In Epiph. ad hereſ. 51. pag. 181.

XIII. Ad tertium denique de opinione eorum, qui cum Epiphanio correcto, ſeu caſtigatiore, ut loquitur Petavius, ſentiunt Chriſtum Paſcha cum diſcipulis, & quibuſdam aliis Iudæis ex vulgo, comediſſe feria quinta; Phariſæos autem, & alios ex principibus celebraſſe feria ſexta, propter aliquam Legis ceremoniam, aut tranſlationem ex concurſu Sabbati, ut ipſemet Petavius, Scaliger, & alij exiſtimant, & ſe tuentur Evangelio Ioannis, ubi dicitur Chriſtum agnum cum diſcipulis ediſſe ante diem feſtum paſchæ, & Iudæos, cùm Chriſtus feria ſexta apud Pilatum accuſaretur, ingredi noluiſſe pretorium, ne contaminarentur, & poſſent comedere paſcha: Itemque certis Traditionibus Iudæorum, quæ vetabant ipſum paſchæ diem immediatè jungi Sabbato, ne duo Feſta adeo celebria ſuo occurſu ſeſe mutuò impedirent, & populus qui iis diebus vacabat à parandis neceſſariis, incommodum per totos eos dies pateretur. De quibus Scaliger, & Petavius eum refellens in Epiphan. ad hereſ. 51. De quibus pariter Paulus Middelburgenſis fusè agit toto fere capite 4. lib. 14. ubi rationes affert, quibus moti Iudæi legitimam paſchæ celebritatem aliquando transferebant in alium diem, quod quidem negat à Chriſto factum, ab aliis autem Iudæis uſurpatum admittit eo anno quo Chriſtus eſt paſſus; & ita interpretatur Iudæos noluiſſe ingredi pretorium, ne contaminarentur, & poſſent comedere paſcha, id eſt, agnum paſchalem, quem Chriſtus jam precedente veſpere comederat.

An Chriſtus comederit agnum ante alios Iudæos.

Cap. 13. Cap. 11.

Lib. 1. & 6. de emend. Temp.

Pag. 180. & ſeqq.

In Paulina parte 2.

Greci communiter id aſſerunt.

Volunt quoque fere omnes Greci, à tempore preſertim quo ab Eccleſia Latina ſchiſmate dividuntur, Chriſtum paſcha comediſſe pridie quàm à Iudæis communiter comederetur, idque ſine fermento, cujus nondum uſus eſſet eo die prohibitus; ſed id illi ad tuendum errorem, quo Sacrum in fermentato faciunt, aſſumunt, non ex hiſtoriæ Evangelicæ veritate.

Latini plerique omnes negant.

Quare Latini fere omnes, ut id preſidium aut prætextum

Digitized by Google

textum Græcis auferant, Chriſtum die communi, & eodem cum Iudæis, agnum paſchalem comediſſe aſſerunt, idque cum azymis & lactucis agreſtibus in lege præceptis, ſine quibus, quocunque tandem die comederetur, agnum edere non licebat; non enim magis ſine agno, quàm ſine pane azymo paſcha celebrari permittebatur; & ſi Chriſtus azymo pane in ea ſolennitate uſus non fuiſſet, legis Divinæ prævaricator habitus eſſet.

Dico ergo tranſlationem illam, quæ aſſeritur facta ob concurſum dierum feſtorum, eſſe planè commentitiam, & antiquioribus ac Chriſti tempore inuſitatam atque incognitam, præſertim cùm etiam Sabbatis, & Feſtis celebrioribus, emere & parare ad victum neceſſaria lex concederet: quod etiam Petavius admittit. Quod verò Scaliger contendit, Chriſtum paſcha ediſſe feria quidem 5. veſperi, ſed die 13. Niſan Civilis; id & fictitium quoque eſt, & expreſsè contra legem, & Chriſto invidiæ fuiſſet. Quod verò ipſe corrigit in ſecunda editione, quod in prima ſenſerat, Chriſtum cum aliis Iudæis die 14. paſcha celebraſſe, bonam ſententiam mala correctione damnavit.

Tranſlatio Paſchæ non probatur tempore Chriſti.

In Epiph. ad hæreſ. 51. pag. 185.
De emend. temp. lib. 6.

Dico præterea hanc diei præcepti anticipationem, quaſi Legis Divinæ, ac Moſaicorum Inſtitutorum manifeſtam ac publicam prævaricationem, Chriſto futuram odioſam, & meritò Iudæis, qui ſanctiſſimas ejus actiones in crimen vocabant, & eum ſæpe etiam in verbis capere volebant, materiam daturam accuſandi Chriſtum apud Pontifices & Pilatum; quam cùm non arripuerint, argumento eſt non eſſe datam.

Anticipatio Paſchæ contra legem eſt.

Dico denique tertiò, non probari ex illo loco Ioan. Iudæorum Principes, aut in univerſum omnes illos qui Chriſtum apud Pilatum accuſabant, agnum nondum comediſſe: cùm enim dicitur eos noluiſſe ingredi prætorium, ut poſſent comedere paſcha, nomine paſchatis non ſolùm intelligitur agnus, ſed etiam omnia ſacrificia & cibi paſchales, atque adeo ipſe panis azymus, qui tota paſchali hebdomada

Nomine Paſchatis cibi Paſchales intelliguntur.

Digitized by Google

hebdomada in uſu erat, & puros atque incontaminatos convivas ab omni legali immunditia, non minùs quàm ipſe agnus, exigebat, ut communiter ſentiunt Doctores cum Sancto Auguſtino.

D. Aug. tract. 11. in Ioan.

Nec etiam Feſtum Paſchæ urget, in cujus pridie Chriſtus dicitur agnum ediſſe, tum quia 14. ad veſperam præcedebat 15. in qua erat Paſchæ Feſtum præcipuè; tum quia tota hebdomada, & ipſum in ea Sabbatum, Paſcha vocabatur, & feria 6. Paraſceve Paſchæ dicta eſt.

Et tota hebdomadæ celebritas.

Vnde ſi quæ legalis immunditia, irregularitas, aut aliud legitimum impedimentum celebrandi Paſchatis ſtatuto die occurreret, in alterius menſis ſimilem diem ſolennitas differebatur, dies autem hebdomadæ alter in alterum mutari non conſueverat temporibus antiquis circa Chriſtum, aut ante. Et ſolenne erat apud antiquos & ſapientes Iudæos, ut dicerent Paſcha ab omnibus æqualiter & ſimiliter agi oportere.

Ἐπίσης ἅπαντας θύειν δεῖ διαβεβαίουσι. Anatol. apud Euſeb.

Omnes Iudæi ſimul Paſcha celebrabant.

Et Divus Ambroſius ex legitima celebratione Paſchæ à Chriſto Domino, die, qui cum obſervantia vera & generali concurreret, impoſitam ait Chriſtianis legem, ut una nocte Sacrificium pro Domini Reſurrectione ubique deferatur. Vbi & ait, Chriſtum qui venerat, ut plenitudinem legis conſummaret, & non ut ſolveret, ſed impleret, celebraſſe Paſcha hebdomade in qua fuit, 14. Luna, quinta feria, eadémque die Paſcha cum diſcipulis manducaſſe, & ſequenti die, hoc eſt, feria 6. Luna 15. crucifixum.

Lib. 10. epiſt. 83. ad Epiſc. Æmiliæ.

Omnes Chriſtiani una nocte ubique Paſchale Sacrificium offerunt exemplo Chriſti.

Et ipſe Sanctus Epiphanius, ſi diligenter legatur, non ſignificat Chriſtum alio die, alio Iudæos ediſſe Paſcha; ſed contra potiùs ſimul ipſum & omnes alios, omnéſque legitimum Paſchæ tempus biduo præveniſſe; ſed, ut obſervat, cum perturbatione, non quidem orta ex multiplici Paſchalis agni per dies diverſos eſu, ſed ex diei legitimæ perturbata anticipatione. Et ſi quod inter Chriſtum & alios Iudæos diſcrimen innuit, cùm ait, præter illos duos dies Iudæos adhuc uno die anticipaſſe, oſtenderet

Iudæi ex S. Epiphanio perturbata anticipatione Paſcha celebrarunt.

Ἐνίκα τοίνυν τούτου σφαλέντες, οἱ αὐτοὶ προέλαβον θορυβούμενοι τὰς δύο ἡμέρας βεβρωκότες τὸ πάσχα. S. Epiphanius hæreſ. 51.

deret id, non Chriſtum ante Iudæos, ſed Iudæos ante Chriſtum, jam paſcha celebraſſe; & proinde non poterat hæc eſſe cauſa cur Prętorium non ingrederentur, quando Chriſtus à Pilato interrogabatur.

Non Chriſtus ante illos.

Quare meritò Sancti Evangeliſtæ de die illa, in qua Chriſtus Cœnam peregit, loquuntur quaſi de die nota omnibus, & deſignata ad ſolennem paſchalis agni eſum, & aiunt acceſſiſſe diſcipulos ad hoſpitem, & interrogaſſe illum de loco commodo, eúmque eis oſtendiſſe cœnaculum grande, aptum ad eos omnes commodè capiendos, & jam ſtratum ac pręparatum; quod ſanè non aliter fieri potuit, quàm ſi ea dies ſolennis & conſtituta omnibus Iudæis habita eſſet. Vnde Sanctus Matthæus: *Prima*, inquit, *die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli*; eo videlicet modo, quo ſuperioribus annis ex publica conſuetudine. Et Sanctus Marcus: *Prima die Azymorum, quando Paſcha immolabant.* Simpliciter, & ſine reſtrictione, omnes immolabant. Et Sanctus Lucas: *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*, neceſſitate legis omnes æqualiter obligante.

Sed omnes eadem die nota & conſueta.

Qua locus paratus.

Cap. 26.
Prima die Azymorũ.

Cap. 14.

Cap. 22.
In qua neceſſe erat occidi Paſcha.

Vnde pręclarè Hilarion ab ipſo Scaligero laudatus, Divum Lucam explicans, ait illum neceſſitatem legis oſtendere, non libertatem voluntatis Chriſti. Quibus etiam addit, definiendum eſſe ex mente ſapientum Theologorum, Chriſtum crucifixum propria die paſchatis, id eſt, Paraſceves, quæ erat ſecundùm Aſtronomos Luna 15. poſt Æquinoctium Vernum.

De emend Temp. lib 6.
Λέγων γὰρ ἔδει, δηλοῖ ἀνάγκην τοῦ νόμου, καὶ οὐκ ἐλευθερίαν θελήματος τοῦ Χριστοῦ. *Hilarion.*
Καὶ κατὰ τοὺς Ἀστρονόμους αὐτῇ τῇ παρασκευῇ εὑρῆσθαι σελήνην ιε´ ἀπὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας. *Idem.*

Ex quibus conſtat, nullam prorſus eſſe cauſam, cur dicatur Chriſtus Dominus agnum Paſchalem ante reliquos Iudæos manducaſſe; multas eſſe, cur credatur ſolennem ritum, lege ſolenni pręſcriptum, ſolenni die, ſimul cum aliis omnibus publica in luce celebraſſe. Adde quòd etiamſi conſtaret Chriſtum die 14. Iudæos 15. agnum Paſchalem mactaſſe, nihil id juvaret eos qui volunt id factum anno Æræ communis 31. Cùm enim inter illa duo connexio nulla ſit, nullum inde argumentum duci poteſt

Etiamſi Chriſtus comediſſet agnum ante Iudæos, hoc non probat id factum anno Æræ communis 31.

poteſt; & tam facilè poſſum Chriſtum paſſum anno 33. illius Æræ tueri, ſive admittam comediſſe agnum cum Iudæis feria 5. ſive non admittam, ſed contendam Iudæos ſequenti die ea legis ceremonia perfunctos eſſe.

Autoritas antiquorum pro anno 31. deficit.

XIV. Atque hactenus abundè, ut reor, ſatisfactum eſt argumentis, quibus ſuam ſententiam tuentur Autores, qui pro 31. Æræ communis anno Paſſioni Chriſti aſſignando militant, & oſtenſum Synodi Palçſtinæ, & Antiquorum, qui Domini Reſurrectionem, aut Paſſionem, ad vigeſimum quintam Martij diem aſſigunt, autoritatem non magnam eſſe, & multa habere, aut admodum dubia, aut pugnantia, aut ex vulgi ſenſu ſine examine accepta, & manifeſtè contra characteres Evangelicos, & certiſſimas Aſtronomiæ leges pugnare.

Vitium Cycli fruſtra prçtexitur.

Vitium quoque Cycli, quo prætendunt Iudæos uſos, in ſola autoritate Epiphanij niti, multis erroribus & difficultatibus implicatum eſſe, nec contra planam & ſimplicem Evangelij ſententiam admittendum. Et verò admiſſum, non probare, ſed deſtruere opinionem eorum qui in ſuum favorem illud allegant, & tam patens à ſuis etiam aſſertoribus admitti, nempe ad triduum anteceſſionis Lunæ, ut ipſis oculis poſſet refutari.

Vbi quçſo animadvertat quilibet æquus rerum æſtimator, vitium iſtud non inventum, ſed quçſitum; non verum, ſed fictum, & fictum à ſuis ipſis Autoribus, ut ſe ſub aliquo prçtextu à manifeſta Evangelij autoritate defenderent, & characteres Evangelicos Plenilunij & feriæ ſextæ ritè & ſine vitio anno Paſſionis Chriſti convenientes, alteri anno quàm legitimo cum vitio & errore affingerent.

Et re vera dignum eſt notatione, Dekerium & Keplerum, qui primi, & præ cçteris maximè, vitium Cycli Iudaici prçtendunt, videre jam in ſua ſententia de 31. anno Æræ communis firmiter adhęrentes, vitium Cycli Iudaici quçrere, & nondum viſo Epiphanij textu, ſaltem Grçco, vehementer eſſe ſollicitos unde haberent, &

quomodo

quomodo illum intelligerent, corrigerent, & in ſuam ſententiam detorquerent. Hoc enim patet manifeſtè in mutuis inter ipſos Epiſtolis, ubi Dekerium Keplerus rogat, ut textûs Græci copiam ſibi faciat, & Dekerius idem à Keplero poſtulat.

Eclog. Chron. epiſt. 20. pag. 157. & 158.

Epiſt. 21. pag. 171.

Et Keplerus ſe non ita Græcæ Linguæ intelligentem fatetur, & longam tamen ac difficilem illius Græci textûs expoſitionem & emendationem ſuſcipit: qua tamen nihil evincit, niſi ut certò conſtet textum Epiphanij valde corruptum, ideòque ad veritatis probationem non plus multò valere, quàm hominis mendacis & corrupti teſtificationem.

Epiſt. 8. ad Calvij. epiſt. 23.

XV. Reſtat ut de convenientia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cum anno Paſſionis Chriſti in multis capitibus, dicamus Autores, qui capita illa rerum geſtarum referunt, in componendis illis cum anno Paſſionis Chriſti ſecutos plerumque eſſe ſententiam Patrum Antiquiorum, qui ponebant Chriſtum paſſum anno ætatis ſuæ 30. Tiberij 15. & ſub Conſulatu duorum Geminorum, quæ manifeſtè falſa eſt; aut vulgatam in verſione Sancti Hieronymi in Chronico Euſebij, ubi Chriſtus paſſus dicitur anno Tiberij 18. quam etiam ſupra oſtendimus vitioſam, & haberi in Græco textu Euſebij, & in aliis locis, Tiberij annum 19. Vnde mirum eſſe non debet, ſi res illæ geſtæ aliquando referantur extra ſedes temporis cui rite conveniunt, & ad Chriſti paſſionem collatæ, longiùs aut propiùs quàm oporteat, collocentur.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cur non ubique cum Paſſione Chriſti conveniant.

Atque ut à nobiliſſima Hiſtoria cladis Ieroſolymorum noviſſimæ, inſtar omnium ducamus exemplum; certum eſt eam contigiſſe anno 2. Veſpaſiani 8. die Septembris in Sabbato, anni Iuliani 115. Æræ communis 70. Id enim manifeſtè perſuadet Ioſephi & Dionis autoritas, quorum hic pro Sabbato fidem facit, ille pro anno illo 70. cujus Paſcha celebratum eſt in 14. Aprilis, feria 4. & dies 8. Septembris contigit feria 7. Cyclo Lunæ 14. Solis 23. Litt. Domin. G.

Clades Ieroſolymitana anno Iuliano 70. certiſſimè.

Dio in Nerone. Ioſeph. lib. 6. cap. 47.

Digitized by Google

Errant, qui 40. anno poſt Chriſti Paſſioné eam collocant.

Quamobrem qui cladem Ieroſolymorum ponunt anno à Chriſti Paſſione 40. Chriſtum volunt paſſum anno 30. non 31. Æræ communis; ut Dekerius, qui non ſatis exactè 18. Tiberij numerat pro 31. Æræ communis, & annos Imperatorum vult uſurpari more Romano à Conſulibus illius anni quo regnare cœperunt ab ipſis Calendis Ianuariis. Et ita annum 18. Tiberij non à die Imperij, ſed à Tribunitia Poteſtate, quam vult dari ſolitam Calendis Ianuariis, quando Conſules creabantur. Sic enim & in ipſo Prologo Galeato utrumque jungit, pro eodem, 18. Tribunitiæ poteſtatis, ut in Faſtis annotatur, & 17. à die accepti Imperij. Et parte 2. Annotatione 14. ubi ait, ea quæ in priori parte anni Romani geſta ſunt, referri ſępenumero à Scriptoribus προληπτικῶς ad annum Principatûs, vel Vrbis, aut Olympiadis, qui preſsè ac propriè in poſteriore duntaxat parte anni Iuliani incipit. Vbi & ait exempli causâ, pari ſenſu baptizatum aſſeri Chriſtum anno 15. Tiberij, & occiſum 18. quo Apoſtolorum Principes à Sancto Hieronymo, Euſebio, & cæteris notantur anno 14. Principatûs Neronis palmam accepiſſe Martyrij, vel quo à Ioſepho bellum Iudæorum cœpiſſe ſcribitur in Maio anno 12. Neroniano, & 110. Iuliano; nimirum κατὰ πρόληψιν, & more Romanorum annos à Ianuario accerſentium. Hæc ibi Dekerius, quæ tamen eum non juvant; nam ſive ponat Chriſti mortem in anno 17. Tiberij verè & propriè, id eſt, Æræ communis 31. ſive impropriè & per anticipationem in anno 18. is annus ſemper erit 31. Æræ communis; à quo ad cladem Ieroſolymorum non 40. ſed 39. duntaxat anni numerabuntur.

Quòd autem ita antiqui Autores annos ſępenumero nominent, verum non eſt, ſi diligenter conſideretur; ſed recentiorum inventum eſt, ad conciliandam ſuis opinionibus veterum Scriptorum autoritatem. Et ipſe Petavius fatetur de hoc ipſo anno 18. Tiberij, eos qui annos Chriſti ad Euſebianum Chronicum adnotarunt, ad

De doct. Temp. lib. 12. cap. 12.

annum

annum 18. Tiberij, & Olympiadis 202. tertium, quo paſſus ibidem Chriſtus ponitur, annum Chriſti 32. adſcripſiſſe; à quo ad annum 70. quo Ieroſolymorum totalis clades contigit, triginta octo duntaxat anni, non 40. numerantur.

Quare, ut dixi, qui 40. anno cladem Ieroſolymorum poſt Domini paſſionem poſuerunt, Chriſtum paſſum volunt in anno 30. à quo ad 70. exactè reperiuntur 40.

Quod eodem prorſus modo exiſtimandum eſt de cęteris rebus geſtis, quas Autores noſtræ ſententiæ contrarij nobis opponunt, cujuſmodi ſunt Adventus Sancti Pauli Romam, anno poſt Paſſionem Domini 25. Mors Principum Apoſtolorum 37. Intervallum Converſionis & Martyrij Beati Pauli ad 35. annos. De quibus agit P. Petavius, qui & ait Clementem Alexandrinum, Origenem, & alios ex Antiquis, qui quadraginta & duos annos inter Paſſionem Domini, & excidium Ieroſolymitanum conſtituunt, id feciſſe, quia Chriſtum mortuum putabant anno 15. Tiberij, duobus Geminis Conſulibus. *Quem ſi*, inquit, *plus uno anno prædicaſſe cogitaſſent, annos ſine dubio* 40. *Paſsionem inter & excidium, putaſſent.* Quæ dubio procul oſtendunt nullum prę́ſidium ſuæ ſententiæ eos habere in autoritate antiquorum Scriptorum, qui eos nobis opponunt, quandoquidem in illis tanta diverſitas, & errores tam manifeſti reperiuntur. Ideoque nos meritò retinere calculum Aſtronomicum ad defendendos characteres Evangelicos, nec debere ab eis recedere pretextu vitij in Cyclo Iudæorum, aut diverſitatis ab opinionibus Scriptorum antiquorum, in quibus tam parum firmamenti & conſtantiæ reperimus. Quæ cauſa eſt, cur ubicunque poſſumus, noſtram Chronologiam defectionibus Solis & Lunæ indubitatis, & aliis Aſtronomicis characteribus conſtituamus; non neglectâ tamen Hiſtoriæ notitiâ, & autoritate majorum, ſed examinatâ diligenter, & ad veritatis regulam ex circunſtantiis temporum, locorum, & perſonarum, aliisque rationum

In Autoribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ magna varietas, & debile fundamentum.

In calculo Aſtronomico ſumma firmitas.

Digitized by Google

num momentis comprobatâ.

Neque verò plus momenti habet quod opponitur de morte Sejani, eo ipſo Tiberij 17. Etiamſi enim illud admittam, nego quod additur, eum obſtitiſſe ne Chriſtus poſt mortem in Deorum numerum referretur. Id enim ante Oroſium dixit nemo, & fieri non potuit eodem ipſo anno quo Chriſtus mortuus dicitur; & mera fabula eſt, quod eodem edicto Tiberij contineri dicitur, nempe Chriſtianos Vrbe proſcriptos: nomen enim & gens Chriſtianorum tam citò audiri, aut odio eſſe non potuit.

Fabula de odio Sejani erga Chriſtũ & Chriſtianos.

Sic ergo cadunt argumenta, quæ in favorem anni 31. afferri ſolent. Et ſanè mirum quomodo ſententia tam levibus nixa fundamentis, tanto plauſu initio accepta ſit, & à viris eruditis tantâ contentione defenſa, cùm nullàm prorſus rationem, qua probari poſſit, præ ſe ferat, ſola autoritate apparente, & fide dubia ſuſtineatur.

De aliis annis quid dicatur, modò videndum.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS III.

De Annis 32. & 34.

I. DE Anno 32. Æræ communis nulla fere eſt difficultas, & pauci admodum Autores ei anno Chriſti Paſſionem aſſignant, prҿter Chemnitium, & aliquos ejus ſequaces, quos ſuæ Confeſſionis Theologos vocat Langius, & quos ait in eo ſuam ſententiam fundare, quod ponant Chriſtum baptizatum ante Paſcha anni 29. Æræ communis, & deinceps uſque ad Paſcha quo mortuus eſt, tres annos inter quatuor Paſchata prҿdicaſſe; unde fit neceſſariò conſequens, ut anno 32. Chriſti Paſſio acciderit.

Lib.2.de Ann. Chriſti, cap. 8.

Sed rite eos refellit, ex eo quòd eo anno paraſceve paſchatis in feriam primam inciderit: Ego, ex eo quod ante dixi, nempe quòd characteres Evangelici Plenilunij & feriæ ſextæ in eum annum non quadrent: patet enim ex Tabella ante poſita, anno 32. Æræ communis ſecundùm leges Aſtronomicas Plenilunium Medium in feriam 1. Verum in 2. incurriſſe, illud die Aprilis 13. hoc 14. Si verò ad Cycli vitium Autores iſti confugiant, reſponſionem paratam habent in iis, quæ diximus paulò ante contra ſuperiorem ſententiam.

Annus 32. Æræ communis Paſſioni Chriſti non idoneus.

Ad id autem quod dicebant ex tribus annis prҿdicationis Chriſti, poſt Baptiſmum anno 29. Æræ communis factum; Reſponderi facilè poteſt nihil cogere ut credatur Chriſtus eo anno baptizatus. Sanctus enim Lucas non ait Chriſtum 15. anno Tiberij baptizatum, ſed verbum Domini ad Ioannem factum; quod tam commodè aptari poteſt ad extremos menſes anni illius 15. Tiberij, qui conveniunt cum primis menſibus anni 30. Æræ communis, quàm ad priores, qui conveniunt cum poſtremis anni 29.

Luc. 3. Chriſtus non dicitur baptizatus anno 15. Tiberij.

II. Circa

Digitized by Google

II. Circa annum 34. Æræ communis controverſia major multò eſt, tum quia Autores valde multi & nobiles in eo volunt Chriſtum paſſum, tum quia rationes habent non contemnendas, tum quia difficultates non minùs graves ſolvendas opponunt.

Anno 34. multa favere videntur.

Et ſanè cùm eo anno Plenilunium Aſtronomicum tam Medium quàm Verum contigerit 23. Martij, feria 3. Civile non incommodè dici poteſt, ſaltem ex φάσεις, biduo aut triduo tardiùs celebratum, Cyclo Lunæ 16. Solis 15. Littera Dominicali C. Iuxta quam ſententiam Chriſtus paſſus eſſet feria 6. die 26. Martij, aut ſecundùm Calendarium Ieroſolymitanum, die 25.

Plenilunium Civile.

Et ita Paulus Middelburgenſis ſenſiſſe ait multos Doctores tam Græcos, quàm Latinos, quorum opinioni conformem ait ſupputationem anni hujus, menſis, & diei, licet feria iis non ſit conſona.

In Paul. part.2. lib.7. concl. 5.

Ei ſententiæ favent omnes, qui ex Antiquis & Recentioribus volunt Chriſtum paſſum die Martij 25. & Martyrologia, quæ idem de Chriſto, & Latrone ſocio Paſſionis aſſeverant.

Dies 25. Martij.

Favent multi Græci, exiſtimantes anno 34. Lunam 15. primi menſis fuiſſe 23. Martij, & quidam Latini volentes Chriſtum paſſum 23. Martij, ut videre eſt apud Ioannem Lucidum, in Chronico.

Lib. 7. cap. 2.

Favet opinio communis Gentilium explicata à Divo Auguſtino, ubi ſcribit opinatos illos Chriſtianorum Religionem finem habituram ad Idus Maias, ſub Conſulatu Honorij & Eutychiani, qui erat Chriſti 398. poſt 365. durationis annos; quemadmodum eàdem illà die 15. Maij in Feſto Pentecoſtes, & publico Adventu Spiritûs Sancti, exordium ſumpſerat. Favet enim annus à 34. 365. & dies Maij 15. à quo retro numerati 50. dant diem Paſchæ 27. & diem Paſſionis 25. Martij.

Opinio Gentilium de interitu Chriſtianæ Religionis poſt annos 365.
Lib. 18. de Civit. Dei, cap. 53.

Favet ſatis expreſsè Beda dicens Chriſtum in carne pluſquam triginta tribus annis uſque ad tempora ſuæ Paſſionis vixiſſe.

Beda & Dionyſius.
De Rat. tempor. c. 45.

Et cum

Digitized by Google

Et cum eo Dionyſius, qui primus Cyclos ad Chriſti Incarnat. accommodavit, & Bedæ in ſua opinione præfuit.

Hanc ſententiam præ cęteris defendit Cardinalis Baronius, & vult Chriſtum baptizatum anno ætatis 31. inchoato, ac deinde per tres annos prędicaſſe, quatuor paſchatis intertextos. Cum eo ſentiunt recentiores multi.

Expreſsè defendunt *Baronius In Annal. ad an.34. num.* 147.

Ioannes Mariana, diſputatione peculiari de hac materia.

Mariana.

Ioannes Philippæus, in Oſeam, & quidam alij ex Latinis, cum pleriſque Gręcis, ut antea dictum eſt.

Philippæus *Cap.* 4 *&* 6.

III. Huic ego ſententiæ id maximè oppono, quod ſupra latiùs extendi, eam videlicet non habere characteres Evangelicos Plenilunij & feriæ ſextæ. Neque enim ſatisfacit dicendo Plenilunium Civile poſſe diſtare à Vero, aut Medio, biduo vel triduo: quod, ut ut ſit de biduo, falſum eſt de triduo, cujus diſtantiam admittit hæc ſententia, à feria nempè tertia ad ſextam, ſive à 23. die menſis ad 26. ut Mariana, ſive ut alij à 22. ad 25.

Characteres Evangelici non conveniunt anno 34.

Addo verò Plenilunium Martium anni 34. adeo vicinum fuiſſe æquinoctio, ut non integris quindecim minutis ab eo abſuerit, Sole vix ad primos Arietis limites promoto, nempe ad minutum decimum quartum, & ſecundum decimum ſeptimum, 0.0.14′.17″. hora poſt Meridiem 4.55′.47″. die 23. Aprilis Ieroſolymis, quando Verum Plenilunium celebratum eſt, Luna Soli oppoſita vix ſecundis 23. ab æquinoctiali linea diſtante.

Plenilunium Martium, Paſchale non fuit anno 34. Æræ cõmunis.

Quare etiamſi abſolutè Plenilunium iſtud Martium Paſchale eſſe potuerit Aſtronomicè ſumptum, & ſecundùm regulas motuum cęleſtium ſcrupuloſè examinatum, non tamen civiliter, & juxta Cyclos communes Solis & Lunæ: Cyclus enim Lunæ anno 34. fuit 16. Solis verò 15. cum Litt. Dominicali C. ſecundùm quos Plenilunium cadit in 22. Martij, feria 2. id eſt, uno integro die ante æquinoctium tam Medium quàm Verum. Quæ manifeſta fiunt partim ex Tabella ante à nobis propoſita, partim ex Diagrammate Aſtronomico Plenilunij iſtius, quod ſubjungendum putavi.

Diagramma

Digitized by Google

DIAGRAMMA PLENILVNII MARTII
Anno Æræ communis 34. non Biſſextili, juxtà Tabulas Rudolphinas.

Pro Sole.

Pag. 99.	*Epactæ.*	*Pag.* 91.	*Sol in Apogæo.*	*Locus Solis in Apogæo.*
Annus datus 34.	D. H. ′ ″	current.	D. H. ′ ″	S. G. ′ ″
Epocha. I.	17.17.56.12.	1.	1.10. 31.27.	2. 8. 20. 11.
Anni reſtantes completi 33.	4.12.26.22.	34	19. 55. 0.	34. 56.
Februarius.	29.11.15.57.	Iun.	2. 6.26.27.	2. 8. 55. 7. *locus Apog. Solis.*
Summa ſublata	51.17.38.31.		153. 6.26.27	
Ex Canonio.	59. 1.28. 6.		82. 2.11.37	*Vnde tolle motũ reſpond. interuall.*
Reſtat Nouil. Med. Martij.	7. 7.49.35.	Inter-vallum.	71. 4.14.50.	2. 8. 40. 50. Reſtat 0. 0. 14. 17. *verus locus Solis.*
Adde mediam Lunationem.	14.18.22. 2.			
Datur Plenil. Med. compl. Die Martij.	22. 2.11.37.			
Currente. Feria 3.	23. 2.11.37. poſt Merid.			

Pro

Pro Luna.

Pag. 94.	*Luna in Apogæo.*	*Locus Lunæ in Apogæo.*
	D. H. ′ ″	S. G. ′ ″
Epocha I.	16. 7. 47. 10.	9. 10. 5. 24.
Anni reſtantes 33. completi.	11. 15. 42. 16.	8. 21. 31. 20.
à 1. Ianuar. dies completi.	81. 2. 11. 37.	*His adde motum reſpond. Canonio.* 12. 16. 46.
Summa	109. 1. 41. 3.	*Datur locus Apogæi Lunæ.*
Sublata ex Canon.	110. 5. 14. 18.	6. 13. 53. 30.
Reſtat Intervallum.	1. 3. 33. 15.	*Vnde tolle motum reſpond. Interuallo.* 13. 53. 7.
		Reſtat 6. 0. 0. 23. *Fictus locus Lunæ.*

	S. G. ′ ″	
Verus locus Solis.	0. 0. 14. 17.	
Centrum Vmbræ.	6. 0. 14. 17.	
Fictus locus Lunæ.	6. 0. 0. 23.	
Diſtantia localis, Sole lõgius progreſſo.	0. 0. 13. 54.	
Tempus Proſtaphæreticum Adiect.	H. ′ ″ 0. 28. 10.	
Med. Plenil.	D.	
Martij currente.	23. 2. 11. 37.	
Verum Plenil.	23. 2. 39. 47.	poſt Merid. fer. 3.
Ieroſolymis add.	2. 16. 0.	
Ver. Plenl. curr.	23. 4. 55. 47.	

Digitized by Google

Ex hoc Diagrammate manifeſtum eſt anno illo 34. Plenilunium Martij minutis duntaxat 14'. 17''. æquinoctio eſſe poſterius, & Solem in perfecta cum Luna oppoſitione vix primos Arietis limites delibaſſe. Quod etſi videatur poſſe ſufficere ad Plenilunium Aſtronomicè ſpectatum, non tamen Civiliter & uſu communi. Addo etiam quod quamvis die 23. Martij Paſcha a Iudæis celebrari potuiſſet, non tamen Paſcha morti Chriſti conveniens, quia illud feria 3. contigit, Chriſtus autem feria 6. paſſus eſt.

Nec feria debita morti Chriſti.

IV. Quod autem addunt quidam de Plenilunio ex Lunæ φάσεις numerato, aut de diverſitate dierum Calendarij. Reſpondendum eſt hæc eſſe nova, & tempore Chriſti non uſitata, excogitata à recentioribus ad fugiendas, non ad ſolvendas difficultates. Et jam ſupra dixi ex φάσεις conjici Synodum debitam, ex eaque Plenilunium.

De integritate verò Calendarij Iuliani, conſtat illam ante Chriſti Paſſionem 30. circiter annis fuiſſe perfectam, & vitium pravæ intercalationis errore Pontificum inductum, Auguſti diligentià correctum.

Quòd ſi quæ differentia inter Calendarium Ieroſolymitanum & Romanum exiſtat, ea nec Lunæ diem, nec feriam mutare poteſt: & abſolutè dies Lunæ 15. & feria 6. cum Chriſti morte debent concurrere. Et in anno 34. feria 3. concurrit cum 23. Martij, & die 15. Lunæ; feria verò 6. cum die menſis 26. Lunæ autem 18. quæ cauſa eſt cur ad Chriſti Paſſionem annus 34. aptus eſſe non poſſit, etiamſi Plenilunium paſchale ponatur in Martio.

Feriarum diſtinctio per ſeptem dies Iudæis propria.

Quod autem Paulus Middelburgenſis, Georgius Hervuartus, Capellus, & quidam alij multa afferant de mutatione feriæ ex variatione Litteræ Dominicalis variè à variis uſurpatæ; planè commentitium eſt: feriarum enim ordo, & diſtinctio hebdomadæ per ſeptem earum dies, ſolis Iudæis ab initio in uſu fuit, & ab iis uſurpata, nunquam ullibi ordinem mutavit, & eundem adhuc ubique ſervat, quem apud Iudæos ſemper habuit. Quare dies Paraſceves

Et ubique ſecundùm illos ordinata.

Digitized by Google

Paraſceves, & ante Sabbatum, qua Chriſtus eſt paſſus, apud Iudæos & apud alios omnes feria 6. eſſe debuit.

V. Favor autem quem huic ſententiæ præſtat menſis Martius, & dies ejus 25. detrahitur ex dictis, & ex multis aliis ſupra poſitis in expoſitione Synodi Cęſarienſis, quæ ejus menſis diem 25. aſſignabat Reſurrectioni. Sicut enim contra Reſurrectionem eo die factam opponebatur quidquid Paſſioni favebat: ita modo quidquid favet Reſurrectioni, poteſt opponi Paſſioni. Et in univerſum menſi Martio quæcunque Aprili favent, & maximè characteres ab Evangelio deſignati, qui ſoli Aprili anni 33. non Martio, conveniunt, nec ulli anno pręter 36. de quo paulo poſt agetur. Favor menſis Martij nullus pro anno 34.

De Latrone cum Chriſto crucifixo, & Martyrologiis, jam ſupra diximus, multa piè à poſteris credi à prioribus ſine examine accepta, quæ poſtea falſitatis clariſſimè convincuntur. Nec 25. ejus diei in commemoratione Boni Latronis.

De Gręcorum ſententia ſequitur die 23. Martij fuiſſe feriam 3. etiamſi eo die Plenilunium fuerit; unde rectè Ioannes Lucidus obſervat Gręcos erraſſe, conſiderantes tantùm Lunam, & non feriam. Nec opinionis Grę-corum. *In Chron. lib. 7. cap. 2.*

Quod eodem modo dicendum eſt de opinione Infidelium, qui Chriſtianam Religionem poſt 365. annos deſituram expectabant ad Idus Maias, quemadmodum eadem die in Adventu Spiritûs Sancti in Feſto Pentecoſtes illam initium duxiſſe exiſtimabant. Quanquam, etſi hæc opinio faveat pro die Paſſionis 25. Martij, non favet tamen pro anno, nam ad 34. additi 365. anni dant 399. non 398. qui meliùs quadrant in 33. Sed menſis ei non quadrat. Aut Infidelium.

VI. Non favet Beda, ut jam ſupra diximus, quantùm ad annum; quos enim triginta quatuor annos vitæ tribuit Chriſto, inchoat ab Incarnatione: quod eodem modo de Æra Dionyſij, & de annis ſecundùm illam computatis dicendum. Eſt enim manifeſtum Æram Dionyſij uno anno à communi, quæ vocatur, diſcrepare; Cycli enim,

tam Lunæ, quàm Solis, Littera Dominicalis, & Indictiones, aliæque characteres Æræ communi addi ſoliti caput habent annum qui precedit primum Æræ communis; ita ut primus annus Æræ communis ſit ſecundus Æræ Dionyſianæ; cujus ratio hæc veriſſima eſt, quod Dionyſius Cyclum ſuum ad Chriſti Incarnationem accommodavit, & primum ejus annum nominavit eum, in quo Chriſtus conceptus & natus erat. Qui verò Dionyſium ſecuti ſunt, videntes vitam hominum non ſolere à conceptione, ſed à nativitate inchoari, & in eorum annis non numerari menſes, quos in uteri materni tenebris egerunt, ſed eos ſolos, quos in lucem editi vixerunt: animadvertentes preterea Nativitatem Chriſti non longè abeſſe à fine anni Romani Iuliani, & Circunciſionem ipſis Calendis Ianuariis celebrari, hoc ſapientiſſimè conſtituerunt, ut primus Chriſti annus ab ejus Circunciſione duceret exordium; & propter vicinitatem Nativitatis & Circunciſionis, æquè ducerentur anni Chriſti à Nativitate, atque à Circunciſione.

Dionyſius Æræ Chriſti ab Incarnatione inchoavit.

Et hinc factum eſt deinde ut Æra communis invaluerit, uno anno inferior Æra Dionyſij, ſervato tamen toto Cyclo Dionyſiano, in ceteris id eſt, Luna, Sole, Littera Dominicali, & Indictione, ſolo excepto capite: nam qui in Cyclo decemnovennali Dionyſiano eſt annus primus, in Æra communi eſt primus ante Chriſtum; qui verò in Cyclo Dionyſij eſt ſecundus, in æra communi eſt primus: & ſic deinceps de aliis conſequentibus, uſque ad noſtra tempora, quibus ubique fere ſervatur ordo annorum æræ communis ita cum Cyclo Dionyſiano compoſitus. Quod jam pluſquam à mille annis in uſu eſt.

Æra communis à Nativitate & Circunciſione ducit exordium.

Beda ergo Cyclos Dionyſij ab Incarnatione Chriſti exordium ſumentes, ad Circunciſionis annum accommodavit, & aliquando ſecundùm Dionyſium annos ab Incarnatione computat, & pluſquam 33. annos uſque ad Paſſionem numerat, aliquando à Nativitate aut Circunciſione, & intervallum ſolis tribus & triginta annis definit.

Beda favet anno 33. à Circunciſione.

Et ita

Et ita commodè intelligetur quod ait, *Fidem Eccleſiæ habere Dominum paulo plus quàm triginta tribus annis in carne vixiſſe, uſque ad ſuæ tempora Paſſionis.* Cùm enim annum Incarnationis pro primo Chriſti numeret, conſtat eo incluſo, & ad triginta duos cum tribus menſibus addito, Paſſionem reperiri in trigeſimo quarto, ab Incarnatione, qui tamen eſt 33. à Circunciſione, & ei proxima Nativitate.

Bed. de Temp. ratione, cap. 47.

Ita quoque Bedæ locus integer ſatis alioqui difficilis, &, ut Petavio videtur, mendoſus, intelligi ſanè poteſt. Ait enim Beda. *Sancta & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe fidem tenere* (quod Chriſtus pluſquam 33. annis vixiſſe credat, numerato ſcilicet ipſo Incarnationis anno) *& ipſis teſtatur Indiculis, quos ſuis in cereis annuatim inſcribere ſolet, ubi tempus Dominicæ Paſſionis in memoriam populis revocans, numerum annorum, triginta ſemper & tribus minorem, quàm ab ejus Incarnatione ponit, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione juxta Dionyſium* 701. *Indictione* 14. *fratres noſtri qui tunc fuère Romæ, hoc modo ſe in Natali Domini in cereis Sanctæ Mariæ ſcriptum vidiſſe, & inde deſcripſiſſe, referebant. A Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti anni ſunt* 668. Si enim ab anno Incarnationis 701. tollas à Paſſione annos integros 668. reſtabunt integri 33. qui, ex mente Dionyſij & Bedæ, ab anno Incarnationis ad annum Paſſionis intercedunt. At ſi ab anno Circunciſionis primus Chriſti numeretur, duo tantùm & triginta anni cum aliquot menſibus intercedent, & annus Chriſti 33. non 34. erit annus Paſſionis. Sic ergo favet Beda, & ipſe Dionyſius anno 33. à Circunciſione, & quod ſupra 33. ad Paſſionem numerat, ad annum Incarnationis pertinet.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 10.

Locus Bedæ difficilis illuſtratur

Beda ubi ſupra.

At non convenit Indictio 14. modò poſita in teſtimonio Bedæ, cum anno Dionyſiano ab Incarnatione, qui ſecundùm veram Æram communem eſt 700. à Circunciſione. Si enim ad 700. tria addas, vel ad 701. duo, juxta communem methodum inveniendi Indictionem, fient 703. quæ diviſa per 15. relinquunt ſolum 13. Error

is eſt

Et corrigitur.

is eſt leviſſimus, qui in textum ſanè vitioſum irrepſit; & ſatius eſt Indictionis notam, quando cum anno cui eſt annexa convenire non poteſt, quàm ipſum corrigere.

Beda, Dionyſius, Syncellus, & alij conciliantur.

Quamobrem quod Beda, Dionyſius, Syncellus, & alij plerique, triginta & quatuor annos vitæ aut ætatis Chriſto tribuunt, triginta duntaxat & tres ab ejus Nativitate & Circunciſione, & ipſum 33. per tres ſolùm menſes inchoatum, ei tribuiſſe cenſendi ſunt. Verùm de ætate Chriſti nondum modò agimus, ſed de anno Æræ communis, in quo mortem pro hominibus ſubiit; quo autem ætatis ejus anno id contigerit, ſtatim poſtea examinabimus.

De rat. Temp. cap. 45.

Et ſatis favet anno 33. ſententia Bedæ expreſsè docentis Chriſtum eo anno paſſum, quo 14. Luna incidit in feriam 5. & 15. Luna in feriam 6. qua paſſus eſt Chriſtus. Quod iiſdem fere verbis D. Ambroſius docuerat, ut ſupra cap. 1. hujus libri eum dixiſſe retulimus.

Epiſtola ad Epiſc. Æmiliæ, lib. 10. ep. 83.

De Autoribus qui 34. Æræ communis Chriſti morti attribuunt, fateor illos quidem eſſe permultos, & pleroſque valde illuſtres; ſed in quęſtione adeo nobili, & quæ ingeniis utrinque valde claris multa contentione agitatur, non Autorum dignitati, ſed rationum momento, concedendum eſſe reor. Et verò pro anno 33. non pauciores, nec minùs illuſtres, numerari poſſunt, audeo & profiteri fore ut poſthac docti plerique examinatis diligenter rationibus, quæ anno 33. patrocinantur, ſuum in ejus gratiam ſuffragium libenter accommodent.

Non pauciores aut minùs illuſtres Autores anno 33. quàm 34. favent.

Et de Baronio quidem ait Hervuartus Annales illum Eccleſiaſticos omni laude digniſſimos reliquiſſe, & Chriſtum poſuiſſe paſſum anno vulgari 34. ſed illum annum falſo ſignaſſe tribus annis poſt Geminos Conſules juſtò tardiùs triennio, & perperam opinatum Paſſionem Chriſti poni anno 3. Olympiadis 202. & labi in eo, quod annum 4. Olympiadis 202. qui in æſtate anni 33. deſierat, in æſtatem anni 35. extendit. Denique concluſiſſe de

Baronius in quibuſdam hallucinatus.

viris

viris clariſſimis & conſultiſſimis in hac materia, eos deſperatâ re, cùm quid certi aſſererent non reperirent, velut inchoatam imperfectámque telam reliquiſſe poſteris.

Sed quod ille de Baronio dixit, juſtiùs multò de ipſo dici poteſt, telam inordinatam & implicatam circa annum 34. texuiſſe ex tam multis dubiis & erroribus, ut nemo eam explicare aut ordinare queat. Et meritò dixerim Chronologiam viri iſtius doctiſſimi quidem, ſed valde confuſi, nominari certò poſſe novam, ſed non veram, & eſſe potiùs commentarium continentem obſervationes, prout eas in variis Autoribus annotabat confusè, quam opus digeſtum & ordinatum quod aliquid doceat aut probet. Promittit Autor alium ſui laboris & ingenij fœtum, an ediderit ignoro. Et ſanè Petavius egregiè refellit novam iſtius Autoris opinionem, qua aſſerit Chriſtum paſſum anno 34. Æræ communis, 25. Martij, duobus Geminis Conſulibus, quos Conſules contra Scriptorum omnium fidem à 29. Æræ communis anno, ad quem pertinent, & partim 15. Tiberij, partim 16. occupant, transfert ad 34. Æræ communis, qui partim 20. partim 21. Tiberij reſpondet, ideóque quinque paria Conſulum è Faſtis quaſi ſubreptitia excludit. Et ut feriam 6. ad Plenilunium propiùs, quàm ex legibus Aſtronomiæ licet, admoveat, & utrumque ad diem 25. Martij accommodet, multa falſa & inepta de Cyclo Callipico, quaſi tum temporis apud Iudæos uſitato, & de Neomenia ex corniculari Lunæ facie conſpecta, non ex vera Synodo nunciata. Quæ ut nova ſunt, & falſa, & mira preſumptione pronunciata; ita pari libertate reſpuenda ſunt, quanquam vir ille doctus & multæ lectionis nonnulla vera multis falſis admiſceat, & totum ſuum librum ex variis annotationibus ſine ordine contexat, aptior longè reprehendendo, quàm quæ aſſerit probando.

Hervuartus in pluribus.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 12.

Cap. 158. & ſequent.

Cap. 187. & ſeqq.

Qui & refellitur.

Eodem fere redit ſententia M. Antonij Capelli, & eodem quoque modo refelli poteſt, & Petavius contra utramque multa preclarè opponit. Nam etiamſi Capellus non

Differt. de Cœna Chriſti, cap. 5.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 6. & 12.

non Æræ communis, ſed ætatis Chriſti 34. Paſſioni aſſignet, eoſdem tamen Conſules Geminos, & 25. Martij, cum anno Tiberij 15. ætatis Chriſti 34. Æræ communis 31. conjungit, in quibus multa nova & abſurda continentur.

PARAGRAPHVS IV.

De Annis 35. & 36.

Annus 35. Paſſioni non congruit.

I. QVI Paſſionem Domini anno 35. Æræ com. poſuerit nullius nominis reperio neminem, nec qui rationes ullas obſervatione dignas in ejus gratiam contulerit. Cùm verò aliunde Plenilunium ejus anni tam Verum, quàm Medium, in feriam 2. inciderit, nullo videtur modo, ne fictione quidem vitioſi Cycli, ad Paſſionem, quam Evangelium docet feria 6. factam, poſſe accommodari.

Anno 36. favet Paulus Middelburgenſis.

II. Pro anno 36. unus validè diſputavit Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Foroſempronienſis in Paulina, ubi, fictà revelatione Sancti Pauli ſibi factà, circa errores aliorum Chronologorum, conſtituit annum illum Æræ communis 36. Paſſioni Chriſti neceſſariò tribuendum; idque ideo, quia characteres Evangelicos Plenilunij & feriæ ſextæ conjunctos habet in menſe Martio, quem menſem ex traditione hiſtorica tam neceſſariò requiſitum credit ad ſtabiliendam Chriſti Paſſionem, quàm duos alios quos Euangelium præſcribit. Quæ & cauſa ſola eſt, cur annum 33. reprobet, quia etiamſi habet Lunam 15. in feria 6. non eam tamen habet in menſe Martio, ſed in 3. Aprilis, ſuum autem 36. quia eam habet 30. Martij, ideo aliis omnibus, quos longa ſerie diligenter examinatos ad Canones Aſtronomicos producit, anteponat.

Quia habet Characteres Evangelicos in menſe Martio. *Part. 2. lib. 7. concl. 4.*

Quia verò animadvertit obnoxium fore reprehenſioni, & contra omnium fere Eccleſiaſticorum Autorum ſenſum, Chriſtum tandiu vitam prorogaſſe uſque ad 36. ætatis

Digitized by Google

ætatis annum, multis contendit annum illum communis Æræ 36. eſſe duntaxat ætatis Chriſti 34. & multa profert, quibus aſſerit eos, qui de Chriſti Nativitate & Morte ſcripſerunt, toto biennio juſtam menſuram ætatis Chriſti anticipaſſe.

Et hæc fere ſumma eſt inſtituti ab eo Autore operis, in quo multa prę̨clara ſunt, pręſertim ex legibus Aſtronomiæ petita; ſed multa quoque falſa & inania in falſa illa revelatione fundata, quæ inter alios egregiè Ioannes Lucidus refutavit. *Lib. de vero die Paſſionis, cap. 11.*

III. Contra hanc ſententiam oppono primùm, quod falsò ſupponit, & tanquam principium indubitatum uſurpat Chriſtum paſſum menſe Martio, quod ex Hiſtoria Evangelica elici non poteſt, & quamvis à nonnullis antiquioribus dictum ſit, à pleriſque tamen verum non eſt creditum. Et ut ipſe Paulus Middelburgenſis admittit, tam fere communiter creditum eſt Chriſtum paſſum 8. Cal. Apriles, id eſt, 25. Martij, quàm ipſo menſe Martio, quod tamen neque ipſe Paulus, neque alij plerique nobiliſſimi ex antiquis & recentioribus Scriptoribus aſſeruerunt. Menſis Martius non eſt character Paſſionis.

Ex his ergo tribus characteribus Paſſionis Chriſti rejiciat Paulus menſem Martium, quemadmodum nos ſupra in anno 31. & 34. rejecimus, & facilè nobiſcum in anno 33. conſentiet.

Oppono deinde, cum illo anno 36. Æræ communis non poſſe componi 4. Olympiadis 202. & 19. Tiberij, in quibus oſtendimus Chriſti Paſſionem contigiſſe, cum prodigioſa illa Solis obſcuratione, quam Evangelium Chriſto morienti teſtimonium dediſſe deſcribit; & cum Meſſiæ morte, quam in medio 70. hebdomadis Danielis Prophetia futuram memorat. Anno 36. Æræ communis non convenit ann° Paſſionis Olympiadis & Tiberij.

Oppono denique illud ipſum, quod Paulus Middelburgenſis admittere timebat, ætatem Chriſti provectiorem ad annum 36. nam quod eam ad 34. reſtringit, falſum poſtea patebit, cùm probaverimus eodem anno vitæ &

Digitized by Google

Æræ communis Chriſtum paſſum.

Et quod ille de anticipatione biennij ab Autoribus communiter facta in Chriſti ætate, dum de ejus Nativitate agemus, examinabimus, & quomodo verum ſit, aperiemus.

CONCLVSIO LIBRI PRIMI.

Summa & concluſio primi libri.

IV. Cùm igitur ſententia, quæ affirmat Chriſtum Dominum anno Æræ communis 33. in Paſchate mortuum, rationibus multò quam aliæ validioribus nitatur, & minoribus ſepta ſit difficultatibus, ea mihi cęteris prȩferenda videtur, & eo prȩcipuè nomine, quod habeat characteres Plenilunij & feriæ ſextæ duabus omnium certiſſimis regulis conſtitutos, id eſt, Evangelio, & Aſtronomiæ legibus, ſine vitij ſuſpicione in Cyclis, ſine Periodorum incerta ſuppoſitione. Deinde, quia Solis obſcuratio in Evangelio quoque deſignata, bonis teſtibus eo anno conſignatur. Prȩterea, quia Prophetia Danielis de Chriſti morte cum Evangelio in eo anno conſpirat. Denique, quia contra alias ſententias multa, eàque graviſſima objiciuntur, à quibus qui eas ſequuntur, ſe non facilè expediunt. Contra iſtam nihil alicujus momenti & ponderis opponi poteſt.

Et concludo, quòd toto hoc primo libro probandum ſuſceperam, Chriſtum anno 33. communis Æræ mortem pro nobis voluntariam oppetiviſſe; quæ erat prima concluſio in Operis hujus fronte poſita. Iam ad ſequentem in ſecundo Libro progredior.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

DE MORTE CHRISTI anno ætatis 33.

HVC uſque, ni fallor, efficaciter demonſtratum eſt, annum, qui numeratur Æræ communis tertius & triceſimus, eum habendum, in quo Chriſtus paſſus eſt: ſequitur modò, ut pari diligentiâ & fide, conſtituamus quis annus ætatis Chriſti ei anno communis Æræ reſpondeat: id enim nec minùs dignum eſt ſcitu, nec minùs controverſum, nec magis optatum exitum habere poteſt, quàm ſi anni vitæ Chriſti cum annis Æræ communis perfectiſſimè conveniant, cum id maximè Chronologi prorſus omnes optarint, multi negarint, pauci omnino, aut planè nulli, rationibus ſolidis perſuaſerint.

Convenientia annorũ Chriſti & Æræ communis votis omnibus expetita.

Hoc ego unum tento, & ſi Deo juvante præſtitero, ſicut ei plurimùm debere me profitebor, ita nonnihil rei Chronologicæ profuiſſe crediderim, & fortè videbor. Negotium autem ita arduum, & nondum validè ſatis probatum ſic ſuſcipio explicandum, ut ſi non demonſtrandum promittam, certè hujuſmodi efficiam, ut maximè probabile videri poſſit. Vnde ſi hæc mea ſententia convenientiæ annorum Chriſti & Æræ communis, cum contraria quacunque componatur, puto illam aliis probabiliorem judicandam; quod in re omnium votis expetita, ſatis eſſe æqui omnes rerum arbitri judicabunt.

Digitized by Google

Vim autem totius meæ ratiocinationis paucis iſtis comprehendo. Conſtat ex toto ſuperiori libro, Chriſtum mortuum anno communis Æræ 33. per aliquot menſes inchoato. Ergo ſi probetur mortuus anno ætatis pariter 33. jam per totidem menſes fluente, neceſſariò concludetur Æram communem & ætatem Chriſti perfectiſſimè convenire. Suſcipio igitur hoc libro probandum Chriſtum triginta duos annos & tres circiter menſes natum, morti pro nobis ſe obtuliſſe. Idque tribus his propoſitionibus, quæ totidem Libri Capitibus explicabuntur.

Summa totius libri.

Prima Propoſitio. *Chriſtus baptizatus eſt anno* 30. *Aeræ communis ineunte.*

Secunda Propoſitio. *Chriſtus baptizatus eſt anno ætatis* 30. *ineunte.*

Tertia Propoſitio. *Chriſtus mortuus eſt anno ætatis* 33. *ineunte, & per aliquot menſes inchoato.*

Et hæc quidem tertia propoſitio evidenter ſequitur ex duabus prioribus, hoc uno ſuppoſito, quòd Chriſtus mortuus fuerit anno 33. Æræ communis, ut confectum eſt. Si enim annus Baptiſmi ſit Chriſto ætatis 30. inchoatus, idémque Æræ communis 30. planè conficitur ut vice verſa annus 33. Æræ communis ſit Chriſto quoque 33. ætatis inchoatus. Vt enim Baptiſmo Chriſti conveniunt annus ætatis & Æræ communis 30. ita Morti, 33. Æræ communis & ætatis. Sed id fuſiùs explicandum eſt, ut clariſſimè demonſtretur.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

PRIMA PROPOSITIO.

Chriſtus baptizatus eſt anno communis Æra triceſimo ineunte.

I. MAnifesta erit hæc propoſitio, ſi conſtiterit Chriſtum ante Mortem poſt Baptiſmum tribus integris annis & menſibus totidem, & non ampliùs, Prędicationis Evangelicæ munus obiviſſe. Cùm enim paſſus ſit anno 33. Æræ communis per tres menſes inchoato, initium Predicationis, & Baptiſmus poſitus tribus ante annis & menſibus, cum initio anni triceſimi ejuſdem æræ concurret, die ſcilicet ſexto Ianuarij, ex communi Eccleſiæ ſenſu.

Tres anni inter Baptiſmum & Paſſionem.

Quòd autem Prędicatio Chriſti tribus hujuſcemodi annis definita ſit, conſtat ſatis clarè ex Evangelio, ubi poſt Chriſtum à Ioanne baptizatum tria Paſchata diſtinctè numerantur, & quartum ſufficienter exprimitur, interjectis tribus annis & totidem menſibus, quibus miniſterium Prędicationis, & rerum à Chriſto inter Baptiſmum & Paſſionem geſtarum, otdo totus deſcribitur.

Prędicatio Chriſti inter quatuor Paſchata comprehenditur.

Primum Paſcha clarè nominatur à Sancto Ioanne poſt factum primum à Domino IESV miraculum in nuptiis Cananæis, in hæc verba. *Prope erat Paſcha Iudæorum.*

Primum Paſcha. *Ioan. 2. verſ. 13.*

Secundum paulò obſcuriùs ab eodem Sancto Evangeliſta deſignatur ſub nomine communi feſti Iudæorum, cùm dixit: *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit IESVS Ieroſolymam.* Vbi deſcribitur ſanitas reddita Paralytico ad Probaticam Piſcinam; ſatis apertè tamen ſignificatur eum eſſe feſtum diem Paſchæ, quia poſt colloquium cum Samaritana quod prçceſſit, ait Chriſtus diſcipulis

Secundum. *Ioan. 5. v. 1. & 10.*

Digitized by Google

diſcipulis ſuis quatuor adhuc ſupereſſe menſes uſque ad meſſem, meſſis autem tempus proximè poſt Paſcha Iudæis erat. Quod ergo dixerat ante abeſſe quatuor menſibus, tunc dixit inſtans eſſe, cùm aſcendit Ieroſolymam, & Paralyticum ſanavit. Eſt ergo iſte verus dies Paſchæ, & talis à Sanctis Patribus & Scripturæ Interpretibus agnoſcitur. Vnde Sanctus Irenæus. *Poſt hæc*, inquit, *iterum ſecunda vice aſcendit ad diem feſtum Paſchæ in Ieruſalem, quando Paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat, curavit.* Et Rupertus, ubi ait. *Hic Evangeliſta Paſchale feſtum non apertè exprimit, dum dicit indefinitè: Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit IESVS Ieroſolymam; ſed ex ſuperioribus feſtum Paſchæ fuiſſe intelligitur.* Et hæc ſine dubio eſt communis ſententia.

Lib. 2. adverſ. hæreſ. cap. 29.

Rupertus.

Tertium.
Cap. 6. verſ. 4.

Tertium Paſcha expreſſè nominat idem Sanctus Ioannes, ubi ante expoſitam admirabilem panum multiplicationem ait: *Erat autem proximum Paſcha.* Et hoc tertium Paſcha innuunt alij tres Evangeliſtæ, quando ſcribunt Apoſtolos per ſata tranſeuntes maturas ſpicas vulſiſſe; maturitas enim ſpicarum tempus paſchæ demonſtrat, quod & facit Sabbatum δευτερόπρωτον, cujus Lucas meminit. Sic enim vocatur, quia poſt ſecundam à die paſchæ, eſt primum Sabbatum.

Luc. 6.
Matth. 12.
Marc. 2.

Quartum denique Paſcha ab omnibus Evangeliſtis clariſſimè demonſtratur illud ipſum, in quo Chriſtus Dominus paſſus eſt. De quo Sanctus Ioannes loqui incipit, cùm ait poſt Lazari ſuſcitationem. *Proximum autem erat Paſcha Iudæorum.*

Cap. 11. v. 55.

Inter ſeſe diſtincta.

II. In his manifeſtè diſtinguntur tria Paſchata, primum, tertium, & quartum, à Divo Ioanne: ſecundum verò obſcuriùs quidem, ſed, ut de eo dictum eſt, ſufficienter ab eodem Evangeliſta ſignificatur, & ex contextu Evangelicæ Hiſtoriæ, à primo & tertio, ratione loci & temporis, diſtinctum notatur. Vnde qui tria duntaxat Paſchata admittunt, agnoſcunt quidem feſtum hunc diem Iudæorum, quo aſcendit Chriſtus Ieroſolymam, diſtinctum

Digitized by Google

ctum ab aliis feſtis à Divo Ioanne nominatis: ſed negant eſſe Paſcha, quia tale à Sancto Evangeliſta non nominatur. Sed, ut dixi, ex circunſtantia meſſis apertè deſignatur ut Paſcha, & à Patribus & Scripturæ Interpretibus communiter, ut ſupra dictum eſt, in Paſchatum numero reponitur. Sunt ergo hæc quatuor Paſchata, & inter ſeſe diſtincta, & ſingulariter notata.

Vbi adverte, neque excludendum eſſe ſecundum illud Paſcha, quia non nominatur, ſed ſolum nomine feſti indicatur, ut volunt Dekerius, Keplerus, Petavius, & alij, qui tria duntaxat Paſchata inveniunt; neque invehendum aliud, ut faciunt Scaliger, & qui cum eo quinque Paſchata conſtituunt. Nulla enim ratio cogit multiplicanda Paſchata ſupra quatuor, & multitudo rerum à Chriſto geſtarum non patitur, ut intra duos annos & tres menſes circunſcribatur quidquid inter Baptiſmum & Crucem intercedit.

Quamobrem fruſtra contendit Sethus Calviſius quinque Paſchata ex Hiſtoria Evangelica probare; ubi imprimis peccat ponendo primum Paſcha anno 15. Tiberij ex ſacra Scriptura; Evangeliſta enim non dicit Chriſtum baptizatum, ſed factum eſſe verbum Domini ſuper Ioannem, anno Tiberij 15. Deinde ſecundum Paſcha non agnoſcit in ſecundo capite Divi Ioannis, & nomine feſti Iudæorum intelligit Pentecoſten aut Scenopegia. Tertiò, malè colligit tempus Paſchæ ex verbis Chriſti: Meſſis multa, operarij pauci. Id enim Dominus dixit, non de meſſe materiali, quaſi re ipſa præſens eſſet; ſed de ſpiritali. Hoc ergo quartum Paſcha ſine fundamento inducit; ſecundum quod verum eſt, non agnoſcit; primum in anno debito non reponit. Quatuor ergo quæ nos poſuimus ſufficiunt, & primum non anno 15. Tiberij, ſed 16. celebratum eſt, Æræ communis 30. paulo poſt Chriſti Baptiſmum; quartum verò, Æræ communis 33. Tiberij 19. ut ipſe Calviſius admittit.

Iſag. Chron. cap. 48.

Inter hæc autem quatuor Paſchata tres anni comprehenduntur

henduntur, quibus prędicatio, miracula, & res geſtæ à Chriſto, ſuo ordine legitimè diſponuntur, quas qui quinque paſchata ponunt, & quatuor ſolidos annos, nimis fusè dilatant, nihil fere primo anno poſt Baptiſmum tribuentes: qui è contrario tria paſchata & ſolos duos annos intermedios aſſerunt, juſtò arctiùs contrahunt, & non ſatis temporis tribuunt ad debitam eorum ordinationem.

Sententia de quatuor Paſchatis in Prędicatione Chriſti media, & omnium optima.

Quamobrem eo etiam nomine quòd media eſt inter extremas noſtra ſententia, pręferenda eſt, & quia commoda eſt intelligentiæ Evangeliſtarum, aliæ violentæ. Ideòque eſt communis Sanctorum Patrum & Scripturæ Interpretum, & longè plurium, & ſaniorum.

In Animadu. in Euſeb. Chr. pag. 171.

Vnde Scaliger in ſua de quinque Paſchatis aſſertione ſudandum ſibi fatetur, & rem aggredi ſe ait, quæ inſaniam ſapiat, verùmque eſſe in Evangelio Ioannis quatuor tantùm Paſchatum veſtigia extare Et in univerſum de iis qui extremas illas ſententias ſequuntur dicere videor poſſe, illos à media receſſiſſe, non quòd in ea quidquam reprehenderent, ſed quia ſuis opinionibus de paſſione & Nativitate Chriſti non ſatis conveniebat; nos autem ſine præjudicio eam ſequimur, & ejus ut ſe prodit veritate, concludimus Baptiſmum Chriſti tribus ante mortem ipſius annis, Æræ communis 30. inchoato per tres menſes, fuiſſe celebratum.

Autores pro tribus annis integris Prędicationis Chriſti.

Sanctus Ignatius.

Τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ Ευαγγέλιον, καὶ ποιήσας σημεῖα ϗ τέρατα, ἐσταυρώθη. S. Ignat. Epiſt ad Thrall.

Euſebius.

IV. Autores qui Chriſti Baptiſmum ponunt tribus annis ante mortem in Evangelij prędicatione poſitis, laudari meritò poſſunt, hi imprimis ex antiquis Patribus, Sanctus Ignatius diſcipulus Apoſtolorum, & tempori Paſſionis proximus, ubi de Chriſto ait, Tres annos Evangelio nunciato, ſigniſque & prodigiis patratis, crucifixus eſt.

Euſebius ſupra à nobis expoſitus, qui ex Evangelio Ioannis ait Chriſtum tribus annis prędicaſſe poſt 15. annum Tiberij; unde vult probari ipſum eſſe mortuum anno 19. Tiberij, Olympiadis 202. anno 4. quibus fit manifeſtum eum agere de tribus annis integris, & de 15. Tiberij completo.

Euſebij ſententia annorum trium & medij

Clariſſima certè eſt ejuſdem Euſebij ſententia

Digitized by Google

tentia in libris de Demonſtratione Evangelica, ubi docet omne tempus doctrinæ, & editionis miraculorum Chriſti fuiſſe tres annos cum medio. Et in Eccleſiaſtica Hiſtoria, ubi ſcribit non omnino quadriennij medium inter Baptiſmum & paſſionem fuiſſe tempus.

Prędicationis.

Πᾶς διδασκαλίας καὶ παραδοξοποιίας ὁμοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ τριῶν ἥμισυ ἐτῶν.

Euſeb. l. 8 de Demonſt.

Οὐδ' ὅλως τετραετὴς ὁ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν διδασκαλίας χρόνος

Idem lib. 1 cap. 10. de Eccleſ. hiſtor

Vnde merito redarguas Scaligerum, qui cùm velit quatuor integros annos a Baptiſmo Chriſti ad Paſſionem intercedere, ponit Baptiſmum in anno Tiberij 15. Quare cùm annus ille 15. Tiberij ſe extendat per duos annos Æræ communis 28. & 29. tam licet nobis dicere, ſalvâ fide Evangelicâ, verbum Domini ad Ioannem factum anno 29. Æræ communis ante menſem Auguſtum, durante adhuc anno 15. Tiberij, quam anno 28. poſt menſem eundem Auguſti: & proinde tam quoque licet dicere Chriſtum baptizatum 6 Ianuarij anni ſequentis revelationem Divo Ioanni factam; id eſt, anni 30. Æræ communis, jam finito 15. Tiberij, & 16. inchoato; quam durante adhuc 15. illo Tiberij, anno communis Æræ 29.

Scaligeri error arguentis Euſebium

In Animaduerſ. in Euſeb. Chron.

Ex quibus etiam corriges, immo delenda judicabis, quæ de ſuo idem Scaliger addidit in Chronico Gręco Euſebij, quæ neque ſunt in verſione Sancti Hieronymi, neque in Chronographia Syncelli, ex qua fere ad verbum Scaliger ſuum Euſebij Chronicon Gręcum deſcripſit, delenda inquam judicabis verba hæc Gręca, τῷ ιε. ἔτει τοῦ Τιβερίου βαπτίζεται ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός.

Et de ſuo ad ejus Chronicon addentis baptizatum Chriſtum anno 15. Tiberij.

Magis igitur fideliter & correctè ipſe Euſebius, & in verſione Sancti Hieronymi, & apud Syncellum, prędicationem Ioannis factam ponit anno 15. Tiberij, qui eſt 29. Æræ communis, & Chriſti Baptiſmum & prędicationem anno 16. Tiberij, qui eſt 30. ejuſdem æræ: quod unum hic quęrebamus, ad noſtram ſententiam Euſebij autoritate confirmandam.

Quibus etiam adjungenda eſt Philoponi autoritas, & Euſebij, quem citat: ait enim Philoponus, Sanctum Lucam declarare prędicationem Ioannis Baptiſtæ anno 15.

Philoponus.

N Tiberij

Tiberij factam, & ab ea prędicationem Salvatoris non per totos quatuor annos extendere. Ad cujus rei confirmationem Euſebium citat ex Ioſepho quatuor Pontificum ſucceſſionem afferentem cum intervallo trium annorum integrorum.

Syncellus.

Adjungenda quoque Georgij Syncelli ſupra poſita interpretatio Euſebij, qui ipſius mentem de anno mortis Chriſti confirmat ex triennio quod ejus prędicationi aſſignat. In quam ipſe ſententiam conſentit.

S. Epiphanius, *Hæreſ.* 51.

His jure poteſt annumerari Sanctus Epiphanius, licet in ſpeciem contrarius videri poſſit: quamvis enim dicat certiſſimam veritatis doctrinam monſtrare non duo ſolùm in Scripturis Paſchata, ſed & tria reperiri; intendit ſolùm probare non pauciora eſſe quàm tria, & ipſemet eodem loco inter Baptiſmum Chriſti, & paſſionem, quatuor Conſulum paria numerat; & ſi quo modo lapſus eſt, in eo ſolùm eſt, quòd Chriſti Baptiſmum ponit menſe Novembri, longè poſt paſcha primi Conſulatûs, quem ibi nominat. Si autem, ut re vera id factum eſt, agnoviſſet Chriſtum baptizatum eodem anno & Conſulatu ante paſcha quatuor Pachata, & tres annos integros reperiſſet. Et ſatis nobis favet in eo quod ponit Chriſti Baptiſmum in Conſulatu triceſimo, & Paſſionem in triceſimo tertio.

Ad ſententiam trium annorum prędicationis Chriſti Domini, & quatuor Paſchatum numerari meritò poſſunt fere omnes qui nobiſcum ſentiunt Chriſtum paſſum anno Æræ communis 33. eorum enim pauci, pręter Scaligerum & Sectatores, Calviſium, alióſque, quinque Paſchata numerant.

Toſtatus.

Chronicon Alexandrinum.

Baronius; & alij. Ad an. 34.

Sunt in noſtra ſententia Toſtatus in 2. parte Defenſorij, Chronicon Alexandrinum, & omnes qui cum eo quartum paſcha faciunt Chriſto σαυρώσιμον, etiamſi velint Chriſtum anno Æræ communis 34. mortem ſubiiſſe, cujuſmodi ſunt Cardinalis Baronius in Annalibus, Philippæus in Oſeam, Mariana, & alij plerique. Et certè negari non

Digitized by Google

non poteſt hanc noſtram ſententiam omnium eſſe probabilem,& Evangelicæ narrationi magis conformem, adeoque aliis prçferendam.

Quin etiam ipſe Dekerius, etiamſi cum anno mortis non nobis conſentiat, à tribus tamen annis prçdicationis non multùm abhorret, & ait ſibi certum prope & exploratum haberi, non plus triennium & paucos inſuper menſes univerſam Chriſti ſtetiſſe prçdicationem. Quod quanquam dicat ad excluſionem quadriennij, certè adhiberi puto poſſe æquè probabiliter ad excluſionem ſolius biennij, cùm non minùs exploratum ac certum haberi debeat univerſam Chriſti prçdicationem non minùs quàm triennium ſtetiſſe; cùm tantæ res à Chriſto geſtæ biennio contineri non poſſint, & ipſe Dekerius feſtum illum diem Paſchæ, in quo ſanatus eſt paralyticus, pro paſchate agnoſcat.

Part. 2. Diſp. Theol. theſi 3.

Nec DeKerius adverſatur.

Sic ergo manet prima noſtra propoſitio clarè & efficaciter probata, Chriſtum eſſe baptizatum anno Æræ communis 30. tribus videlicet annis ante mortem, quæ 33. ejuſdem æræ contigit.

CAPVT SECVNDVM.

SECVNDA PROPOSITIO.

Chriſtus baptizatus eſt anno ætatis 30.

HÆc propoſitio eſt longè conformior Evangelio; quàm quælibet ei contraria: ait enim Sanctus Lucas Evangeliſta de Chriſto ſtatim poſt Baptiſmum à Ioanne ſuſceptum: *Et ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum* 30. Hæc enim verba hunc ſenſum planè præ ſe ferunt, Chriſtum, quando prçdicationem inchoavit, triginta annos attigiſſe; id eſt, 30. inchoaſſe, & nondum finiſſe. Et clarè ſic explicat Interpres Arabicus, cùm ait: *Et IESVS*

Luc. 3. verſ. 23. Καὶ ἀυτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν.

Chriſtus baptizatus anno ætatis 30. inchoato.

cœperat ingredi in triceſimum annum. Et Syrus : *Ipſe verò IESVS erat quaſi annorum triginta.*

Et quamvis non ignorem textum Grecum, & in eo precipuè contentam vocem ὡσεὶ, pati poſſe aliquam latitudinem infra aut ſupra trigeſimum annum ; fatendum tamen eſt ſenſum qui 30. refert annum, magis eſſe litteræ conſentaneum, quam qui ſupra aut infra illum vel dilatat, vel coarctat ; & non niſi cum aliqua violentia, & certa ac rationabili de cauſa ab anno 30. recedi poſſe. Cauſa autem cur recedatur nulla eſt, multæ, cur in eo remaneatur, exiſtunt. Et maximè ratio privilegij ex jure petita, ubi quando de ætate agitur, annus inchoatus pro ſufficiente habetur, & pro tali nominatur.

Autores pro hac ſententia graviſſimi.

In hac ſententia ſunt Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, Origenes Hom. 1. in Ezech. Theophylactus, Sanctus Thomas 3. part. qu. 39. art. 3. Toſtatus in cap. 3. Matth. Dionyſ. Cartuſ. Onufrius lib. 2. Faſt. ad an. Vrb. 786. Sigonius, Genebrardus, Barradius, Suares in 3. part. diſp. 26. Mariana de die mort. Chriſti, Pererius in Danielem lib. 2. queſt. 6.

In Apparat. An. nom. 106.

Baronius favet anno 31. tamen ait eſſe communem Patrum ſententiam, Chriſtum Baptiſmum ſuſcepiſſe cùm iniret annum 30.

Laurentius Codomanus in Annalibus ſacræ Scripturæ ad annum 4170. & lib. 2. Chronologiæ queſt. 48. & lib. 4. cap. 7. & 21.

Sanctus Ignatius.

Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. *Sanctus Ignatius epiſt. ad Thrall.*

Et ſanè ipſe Sanctus Ignatius, qui, ut paulò ante vidimus, docuit Chriſtum tres annos Evangelium predicaſſe, etiam docuit eum, tres annorum decades cùm egiſſet inter homines, à Ioanne baptizatum. Quod aliter intelligi commodiùs non poteſt, quàm quia annus Baptiſmi Chriſti, 30. eſt ætatis, ſicut 30. eſt æræ communis ; & tribus annis precedit mortem, quam Chriſtus paſſus eſt anno 33. Æræ communis. Et ratio id ſuadet. Si enim annus Baptiſmi eſſet 29. æræ communis, poſt tres annos Chriſtus mortuus eſſet anno Æræ communis 32. in quo characteres

Evangelic-

Evangelici, ut ſupra oſtendimus, non reperiuntur. Si vero eſſet 31. ab eo uſque ad mortem, quam probavimus contigiſſe anno 33. in Paſchate, non eſſent tres anni cum tribus menſibus, ſed ſolum duo; aut ſi tres anni à 31. inchoarentur, ij ſe extenderent uſque ad 34. in quo etiam, ut oſtendimus, characteres Evangelici non reperiuntur.

11. Annus ergo ille, quo baptizatus eſt Chriſtus, & quo dicitur incipiens annorum quaſi triginta, aut tres annorum decades egiſſe, eſſe alius quàm triceſimus non poteſt, nec triceſimus aliter quàm inchoatus intelligi; pręſertim cùm nullus alius faveat, vel ei ſententiæ quæ eum ponit mortuum anno communis Æræ 31. vel ei quæ anno 34. ejuſdem Æræ: hæ enim ſententiæ, quæ tamen pręcipuæ ſunt noſtræ oppoſitæ, non multùm curant, aut contendunt, quo anno vitæ baptizatus aut mortuus ſit Chriſtus, nec poſſunt ulla ratione annos vitæ Chriſti cum annis Æræ communis conciliare.

Quod quia maximè contendimus, & efficimus docendo Chriſtum baptizatum anno ætatis 30. inchoato, hæc ipſa eſt optima ratio explicandi textum Sancti Lucæ, & ſententiam Sancti Ignatij de anno vitæ Chriſti & Æræ commun. perfectè concurrente, quia id efficaciter concludit annos Chriſti & æræ communis perfectè concurrere, nec ullam involvit incompoſſibilitatem.

Conciliatio annorum Æræ cómunis & Chriſti valde optata.

Et quamvis aliæ rationes nobis deeſſent; qui nobis in aliis adverſantur, hanc nobis invidere non deberent, per quam efficimus id quod maximè in votis eſt omnium, & quod ipſi ſi poſſent, ſe velle obtinere profitentur: nempe ut anni Æræ communis, qui à tanto tempore, & tanto conſenſu ubique in Eccleſia uſurpantur, omnino conſentiant cum annis vitæ & ætatis Chriſti, & anni quibus diſtinguimus tempora, non fruſtra & nomine tenus, ſed reipſa anni Chriſti, & anni à Chriſti Nativitate & Circunciſione, appellentur.

Lib. 4. Chronolog. c. 21. Chriſtus baptizatus 30. anno inchoato.

Vnde non male Laurentius Codomanus cùm oſtendiſſet Chriſtum natum 25. Decembris, & baptizatum 6. Ianuarij anno ætatis 30. inchoato, paſſum colligit 33.

Digitized by Google

ætatis inchoato, & ſic concludit. Computationes Aſtronomicæ docent quòd dies 15. menſis primi Iudæorum anno 33. Chriſti cadens in 3. Aprilis fuerit dies Veneris, ſeu Paraſceves, qualem etiam diem Dominicæ Paſſionis fuiſſe teſtantur Evangeliſtæ: nec poteſt anno Chriſti 34. (dicas nec 31.) dies Veneris dari, qui 15. diem menſis Niſan præſtaret, &c. qua ratione ſola convinceremur, etiamſi deeſſent cæteræ, quod perperam 34. (ut & 31.) rectè verò 33. Domini, Paſſionem ejus excepiſſe dicitur: Item quòd non ſub finem, ſed paulò poſt principium 30. anni Chriſtus baptizatus eſt. Hac ille ad noſtram mentem aptiſſimè, cùm 33. ille annus (ut & 30.) & Chriſti ætati, & Æræ communi pariter conveniat.

Mortuus 33. inchoato ætatis & Æræ communis.

De vero die Paſſionis, cap. 12.

III. Rectè verò Ioannes Lucidus Chriſti Baptiſmum ponit anno vitæ ipſius 30. inchoato per dies decem, & rectè inter Baptiſmum & Paſſionem tres annos & tres menſes inter quatuor paſchata comprehendit. Vbi quod ait de anno Tiberij 18. in Paſſione, quia falſum ſuperiùs oſtenſum, & correctum eſt; ideo, quod ait de anno ejuſdem Tiberij 15. in Baptiſmate, falſum quoque erit, & corrigendum poſito 16. ut alibi poſuimus 19. & cuncta ritè congruent.

Ioannes Lucidus corrigendus in anno Tiberij 15. in Chriſti Baptiſmo.

Vt correctus eſt in anno 18. in Chriſti morte.

Et ſanè multos decepit annus ille 15. Tiberij deſignatus à Sancto Luca, non character Baptiſmi Chriſti, ſed Divi Ioannis prædicationis; qui annus, ut partim concurrit cum extremis menſibus anni 28. Æræ communis, partim cum primis anni 29. quo ambo Gemini Conſules fuerunt; ita non patitur ut Baptiſmus Chriſti citiùs factus dicatur, quàm 6. Ianuarij anni iſtius 29. communis Æræ, & liberum nobis relinquit ut dicamus factum initio anni 30. tam Æræ communis, quàm ætatis Chriſti, hoc uno poſito, quòd commodiſſimè fieri potuit, ut extremis menſibus anni 15. Tiberij; id eſt, ante menſem Auguſtum anni 29. Æræ communis prædicatio Divi Ioannis initium habuerit, & Chriſti Baptiſmus ſequenti Ianuario ineunte conſecutus fuerit. Et id neceſſariò dicendum eſt iis omnibus qui

Annus 15. Tiberij character non Baptiſmi Chriſti, ſed Prædicationis Ioannis.

Digitized by Google

qui nobiſcum volunt Chriſtum mortuum anno, ſeu vitæ, ſeu Æræ communis, 33. Tiberij 19. & per tres annos & tres menſes poſt Baptiſmum, Evangelicæ Prędicationi operam dediſſe, & in quarto Paſchate vitam finiiſſe. Et qui hoc non attendunt, non facilè ſe ab erroribus expediunt.

Quare qui dicunt Chriſti Baptiſmum vel 15. Tiberij, vel ſub Geminis factum, neceſſe habent juſto plures annos Prędicationis ei tribuere, vel dicere Paſſionem alio quàm Tiberij decimo nono anno contigiſſe. Vnde nos qui probavimus Chriſtum paſſum 19. Tiberij anno, Æræ communis 33. rectè noſtram ſententiam confirmamus poſito Baptiſmo anno 16. Tiberij, Æræ communis & vitæ Chriſti 30. cum tribus annis Prędicationis conſequentibus.

Baptiſmus Chriſti anno 16 Tiberij.

Neque ſibi conſtat Onuphrius, cùm Chriſti Baptiſmum ponit 15. Tiberij in Conſulatu Geminorum, Olympiadis 201. anno 4. nondum finito, 6. die Ianuarij; & Paſſionem in anno 4. Olympiadis 202. Tiberij 19. ex mente Phlegontis, cujus teſtimonium ſequitur, & maximè laudat; non ſibi conſtat, inquam, cùm ponit Chriſtum mortuum anno 34. ætatis ſuæ, & Æræ communis, eos ſimul confundens, & annos Chriſti non diſtinguens, ſed propriis characteribus deſignans annum 34. illius Æræ, nempe diem 23. Martij, feria 3. 15. Lunæ. Hic enim annus Æræ communis 34. inchoatur Olympiadis 203. anno 1. & anno 20. Tiberij, jam inchoatis fere per ſex menſes. Et prętereà inter Baptiſmum Chriſti, ſi ponatur ſub Geminis 15. Tiberij, Olympiadis 201. anno 4. uſque ad Paſſionem, ſi ea ponatur anno 34. Æræ communis, Olympiadis 203. 1. intercedunt non ſolùm quatuor anni integri, & quinque Paſchata (quod eſt maximum intervallum) ſed quinque anni & ſex Paſchata, quod eſt longè abſurdiſſimum. Vt ergo omnia quadrent, Onuphrius ritè conſtituens Paſſionem Chriſti ex Phlegontis calculo anno 4. Olympiadis 202. & Tiberij 19. debuit eum annum

In lib 2 Faſt. ad an. V. C. 785.

Onuphrii hallucinatio corrigitur circa Baptiſmum Chriſti.

Digitized by Google

num conjungere cum anno 33. Æræ communis & ætatis Chriſti, & Baptiſmum ponere in 16. Tiberij proximè poſt Conſulatum Geminorum. Sic enim inter Baptiſmum & Paſſionem tres duntaxat anni cum aliquot menſibus intercedent, & quatuor Paſchata. Sed, ut dixi, falſus eſt Onuphrius cum multis aliis in 15. anno Tiberij, ſumens illum ex Evangelio velut characterem Baptiſmi Chriſti, cùm ſit ſolùm prędicationis Ioannis. In quo etiam falſi ſunt Scaliger & Sethus Calviſius, ponentes Chriſtum baptizatum anno 15. Imperij Tiberij, Æræ communis 29. ætatis Chriſti 31. poſt quinque Paſchata.

3. *Diſp. Theol. theſ. 1. & annot.* 14.
DeKerius falſus in anno Baptiſmi Chriſti, anno 15. Tiberij.
2. *Diſp. theſ.* 3.

Falſus quoque & graviùs Dekerius in eo quod ponit Baptiſmum Chriſti 6. die Ianuarij anni Iuliani 73. Æræ communis 28. & poſt tres annos prędicationis integros in Paſchate quarto Paſſionem anno communis Æræ 31. in menſe Martio. Id enim ſtare non poteſt cum Evangelio, quia initio illius anni 73. 15. Tiberij nondum fluebat, inchoatus nimirum menſe Auguſto.

Lib. de Anno Natal. Chriſti, cap 13.
Et Keplerus in anno 33. ætatis Chriſti.

Non meliùs Keplerus Chriſtum baptizatum docet anno Iuliano 74. Æræ communis 29. ineunte, mortuum 76. Æræ communis 31. duos enim ſolùm annos prędicationi Chriſti aſſignat, & baptizatum Chriſtum facit anno ætatis 33. valde latè extendens ſignificationem vocis Gręcæ ὡσεὶ ad annum 33.

Vt & Petavius.
De doct. Temp. lib. 12. *cap.* 18.

Petavius Kepleri opinionem ſequitur, & ad eaſdem anguſtias Chriſti prędicationem in biennio coarctat, ab anno 15. Tiberij ad 17. ætatem verò ad 33. annos tempore Baptiſmi producit, ſub Conſulatu Geminorum.

Baptiſmus Chriſti anno 30. inchoato tam Æræ communis, quàm ætatis, 16. Tiberij.

Nos autem extrema hujuſmodi vitamus, mediam viam tenemus, & Chriſti Baptiſmum ponimus in 30. anno tam Æræ communis, quàm ætatis ipſius, 6. die Ianuarij, ſub Conſulatu Marci Vinicij, proximè poſt Conſulatum Geminorum, Olympiadis 202. anno 1. Vrbis conditæ 782. & 16. Tiberij adhuc currentibus. Sic enim rite omnia conſtant, & inter Baptiſmum & Paſſionem tres annos & tres menſes cum quatuor Paſchatis comprehendimus, ab

anno

Digitized by Google

anno Tiberij 16. uſque ad 19, id eſt, à 30. ad 33. tam ætatis Chriſti, quam æræ communis. Quæ ſatis lucent ex iis quæ hactenus docuimus, & manifeſte aliorum errores convincunt.

Hæreſ. 51 Alogorum. Veriſſima S. Epiphanij ſententia de Chriſti Baptiſmo & Morte.

V. Hæc porro cenſeri debet veriſſima ſententia Sancti Epiphanij, & eorum omnium qui eum ſequuntur, ponendo triginta & duos annos cum aliquot menſibus vitæ Chriſti, & quatuor annos non integros ejus prędicationis, cum Baptiſmo in trigeſimo ætatis anno inchoato. Hoc enim, ut ſupra vidimus, prędtat Sanctus Epiphanius, numerando triginta paria Conſulum a Nativitate Domini ad ejus Baptiſmum, & in 30. Conſulatu aſſignando Baptiſmum, & poſt Baptiſmum quatuor alia paria Conſulum, & in quarto collocando Paſſionem.

Et quamvis Sanctus Pater in ſerie Conſulum quam aſſignat, peccet in nomine & ordine plurimorum, & quoſdam tollat, quoſdam geminet; immo inter 42. Auguſti, in quo ponit Chriſti Nativitatem, & 19. Tiberij, in quo Mortem contigiſſe monſtravimus, ſolos annos triginta tres numeret, cùm re vera ſint triginta quinque: Itémque ponat 42. Auguſti Conſules Auguſt. ipſum 13. & Silanum; & poſtea in Conſulatu 15. duos Sextos, & in Conſulatu 31. duos Geminos; in quibus ſine dubio multi ſunt errores orti ex tempore Nativitatis & Baptiſmi Chriſti minùs exactè conſiderato: ſatis tamen modò habeo, quod Chriſto duos & triginta vitæ annos det cum aliquot menſibus, & quòd eum baptizatum velit anno ætatis 30. nondum completo. Hoc enim ſępe aſſerit, & conſtanter; primò cùm ait, ex Evangelio Sancti Lucæ conſtare Chriſtum Dominum annorum quaſi triginta, cùm baptizatus eſt, fuiſſe: *Et ſi accuratam rationem temporis ineas, non niſi annorum viginti novem & decem menſium; ita ut triginta annorum, non tamen plenorum, fuiſſe dicatur. Ideóque ſcriptum, Incipiens quaſi annorum* 30. Vide quomodo perfectè ad noſtram ſuámque ſententiam locum Sancti Lucæ de 30. ætatis anno currente interpretetur, & ipſum ver-

ἦν γὰρ τῷ μὲν ὄντι εἰκοσιεννέα ἐτῶν καὶ μηνῶν δέκα ὅτε ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἦκε. τριάκοντα μὲν ἐτῶν, ἀλλὰ οὐ πλήρεις. διὸ λέγει, ἀρχόμενος εἰς ἐτῶν τριάκοντα. *S. Epiph. hær. 51. num. 16.*

O bum

bum Gręcum ὡσεὶ ad annum ætatis inchoatum accommodet.

S. Epiphanius conſtanter baptizatū ait Chriſtum anno ætatis 30. non completo.

Ibidem.

Secundò, idem confirmat, cùm ait eo die quo primum miraculum in nuptiis Canæ Chriſtus patravit, completum eſſe 30. ejus ætatis annum, ubi vult eodem die poſt 30. completos annos à Nativitate id contigiſſe.

Num. 24.

Tertiò, Chriſtum ait 29. Conſulatus à Nativitate percurriſſe, & ſub 30. Conſulatu, menſe 10. ad Ioannem acceſſiſſe, ab eoque baptizatum anno à ſuo Natali 30. quod confirmat ex eodem Sancti Lucæ teſtimonio. *Erat autem IESVS incipiens quaſi annorum* 30.

Num. 28.

Paſſum poſt 32. & aliquot menſes à Nativitate.

Quartò, ſcribit Chriſtum non ſolos 30. annos, ut Valentinus Hereſiarcha contendebat, in vita egiſſe, ſed triceſimo baptizatum, & ab ortu ad Paſſionem annos 32. & dies 74. egiſſe.

Quæ quamvis nonnullis dubiis, aut etiam falſis, permixta ſint, oſtendunt tamen firmam & conſtantem Sancti Patris ſententiam de 33. Chriſti annis ante Paſſionem, nondum completis, & de anno ætatis 30. etiam fluente, & nondum pleno, quando Baptiſmum ſuſcepit. Quod prçcipuè hic contendimus demonſtrare, & per ejus autoritatem explicare ſententiam Sancti Lucæ de anno ætatis Chriſti 30. inchoato.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

TERTIA PROPOSITIO.

Chriſtus mortuus eſt anno ætatis 33.

I. HÆc Propoſitio evidenter ſequitur ex duabus præcedentibus. Chriſtus baptizatus eſt anno 30. æræ communis. Chriſtus baptizatus eſt anno 30. ætatis. Idem ergo eſt annus ætatis, qui æræ communis. Quare, cum mortuus fuerit Chriſtus anno 33. æræ communis, neceſſariò conficitur ut ſit mortuus anno 33. ætatis.

Ætatis Chriſti & Æræ communis in 33. anno paſſi neceſſaria connexio.

Et quanquam hæc propoſitio ſuâ ſolâ evidentiâ manifeſta ſit, ad ejus tamen illuſtrationem, & convenientiam annorum Chriſti, & æræ communis, quędam adjungo.

Primum eſt, Syncellum diſertis verbis aſſerere annum Paſſionis Chriſti eſſe ipſius ætatis triceſimum tertium, & Tiberij 19. Iuxta quam ſententiam Tabella compoſita eſt ad finem Chronographiæ Syncelli, diſponens annos Chriſti, & res in iis geſtas planè conformiter ad annos æræ communis, ſi modò obſerves annos Chriſti in Syncello inchoari ab Incarnatione, & 33. finiri exactè in Paſſione, 34. inchoari in Reſurrectione; quod exiguum diſcrimen non impedit quo minus apud illum anni Chriſti & Æræ communis in reliquis conveniant.

Ἐν τούτῳ τῷ ἔτει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡλικίας λγ. κατὰ τὸ ιθ. ἔτος τοῦ Τιβερίου, &c. Ἐπὶ τὸ σωτήριον πάθος [illegible]. *Syncellus ad an.* 33.

Anni Chriſti & Æræ communis conveniunt in ſententia Syncelli.

II. Secundum, Sententiam Bedæ certiſſimam eſſe annos ætatis Chriſti cum annis Æræ communis convenire: cùm enim ait fidem Eccleſiæ habere, Chriſtum ante Paſſionem pluſquam triginta tribus annis in carne vixiſſe; & primum ejus annum ab Incarnatione numeret, uno videlicet anno ante caput, ſeu primum æræ communi, qui à Cir-

Et in ſententia Bedæ. *De Temp. rat. cap.* 47.

tionem contigerant, per 10. dierum ſuppreſſionem; & per Epactæ mutationem iis, qui ex Plenilunij præceſſione; nihil planè voluit immutare circa annos Æræ communis, & Chriſti milleſimum quingenteſimum octogeſimum ſecundum, qui ante correctionis tempus numerabatur, adhuc poſt illud numerari voluit.

IV. Quartum, Ad hanc Æram communem ita modò ſe omnes adjungere, ut ipſi Autores qui omnium maximè ab ejus capite Nativitatem Chriſti removent, & primum ejus annum 4. aut 5. ætatis Chriſti eſſe contendunt, Dekerius, Keplerus, Petavius, Capellus, & alij, ipſi inquam, Tabulas ſuas Chronologicas, & ordinem temporum ac rerum quas deſcribunt, ad annos Æræ communis, tam ante Chriſtum, quàm poſt Chriſtum, accommodent, & annos ejus quaſi ſuos, Æram Chriſti, & annos Chriſti ſimpliciter vocitent, & ejus Æræ uſum tanquam commodum retinendum prędicent, nec abjiciendum ſine multis publicæ rei incommodis: id enim Keplerus & Petavius non ſemel inſinuant, ut ſuperiori libro oſtendimus.

Æræ Chriſti uſus, & nomen datum Æræ communi ab omnibus

Vnde apparet eo etiam nomine magnopere probandam noſtram ſententiam de conſenſione annorum Chriſti & Æræ com. quòd ejus conſilium ipſis ejus graviſſimis adverſariis non improbetur. Vnde colligo magni ponderis cauſas eſſe debere cur ea repudietur, & rationes quæ ei favent, non ſine animorum benevola inclinatione excipiendas. Quæ rationes in ejus favorem cum multæ ſint & graves huc à nobis allatæ, & cauſæ cur repudietur non ſatis magni ponderis, tandem concludo, admittendam ſententiam quæ affirmat annos ætatis Chriſti, id eſt, Nativitatis ac Circuncisionis, Baptiſmi ac Mortis, perfectiſſimè cum annis Æræ communis conſpirare, atque eorum alios pro aliis indifferenter ſumi poſſe.

Hoc enim evidenter ſequitur ex iis quæ utroque hoc libro diſputavimus: ſi enim Chriſtus mortuus eſt anno communis Æræ 33. ut libro 1. demonſtratum eſt: ſi item ætatis

Evidens eſt an Chriſti & Æræ communis eoſdem eſſ..

ætatis 33. ut libro 2. evidens eſt annos ætatis Chriſti & Æræ communis eoſdem eſſe.

CONCLVSIO LIBRI SECVNDI.

V. SVmma ergo hujus Libri, & quaſi concluſio generalis hæc eſſe poteſt, Chriſtum Baptiſmum ſuſcepiſſe anno 30. communis Æræ per aliquot duntaxat dies inchoato, & per tres deinceps annos, & menſes fere tres ante mortem, Evangelicæ munus Prædicationis exercuiſſe, & ad Ioannem ut ab eo baptizaretur veniſſe, cùm triceſimum ætatis annum per decem circiter dies inchoaſſet, anno Tiberij Imperatoris 16. à morte Auguſti, per ſex fere menſes currente; cùm aliquot ante menſibus, ipſo 15. Tiberij nondum finito, factum fuiſſet verbum Domini ad Ioannem, quo jubebatur Pœnitentiam prædicare, & jam multos baptizaſſet, cùm Chriſtus ſe ei tingendum obtulit, 6. Ianuarij, anno Iuliano 75. Conſulatu duorum Geminorum paucis ante diebus finito, & paucis quoque inchoato Conſulatu M. Vinicij, Vrbis conditæ 782. & Olympiadis 202. anno 1. adhuc in curſu exiſtentibus.

Vbi connexio anni 30. ætatis, & Æræ comunis in Baptiſmo Chriſti, infert neceſſariam connexionem eorundem Æræ communis & vitæ in morte Chriſti, adeòque per omnia conſequentia tempora, & juſtificat uſum Eccleſiæ in annis Chriſti numerandis per mille & ampliùs annos, uſque ad prçſentem.

Sed ea veritas magis adhuc elucebit ex iis quæ ſequenti libro de Chriſti Nativitate ad initium Æræ communis dicenda ſunt, ubi ſolventur graviſſimæ multę difficultates, quæ contra eam occurrunt, & quæ moratæ videntur Autores, qui inviti, ut videtur, & repugnantes, in alias ſententias deflexerunt.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

DE CHRISTI NATIVITATE,

ad initium Æræ communis.

DOctrina Libri iſtius tota jam conſtituta eſt ex Libris ſuperioribus, nec alia probatione indiget, qua enim certitudine conſtat Chriſtum mortuum anno 33. ætatis ſuæ & Æræ communis, eadem planè conſtabit natum circa initium Æræ communis.

Chriſtus natus & circunciſus ad initium Æræ communis.

Et quia Nativitas Chriſti ex communi Eccleſiæ ſenſu jam ubique recepto, ſolo fere Scaligero cum paucis ſectatoribus reclamante , ad anni Iuliani calcem die 25. Decembris facta eſt , & Circunciſio in anni aditu Calendis ipſis Ianuariis , ideo communi more Nativitas ad annum ſequentem refertur , & cum Circunciſione propter vicinitatem ad caput Æræ com. conſtituitur. Vbi tamen obſervandum quoſdam ponere Nativitatem in eodem anno cum Conceptione, quia re vera in eodem anno Iuliano & ſub iiſdem Conſulibus ambæ contigerunt, hæc Martij 25. illa Decembris, & juxta hanc obſervationem Nativitas Chriſti ad annum qui præcedit Æram communem pertineret, ſola Circunciſio exordium Æræ com. conſtitueret; ſed prior ratio magis apta cenſetur , & à nobis , niſi aliud moneamus , uſurpabitur , & annum Nativitatis pro 1. Chriſti & Æræ communis fere ubique numerabimus.

Nativitas & Circunciſio Chriſti, propter vicinitatem , ad caput Æræ pertinent.

Quia ergo, ut paulò ante indicavi, ex doctrina ſuperio-

rum

Digitized by Google

rum librorum planè fit evidens Chriſtum natum & circumciſum circa initium Æræ communis: in eo probando non inſtabo pluribus, & quandiu ſtabunt fundamenta jam ſtabilita, tandiu neceſſe ut concluſio iis innixa firma hæreat & inconcuſſa. Quamobrem qui firmitatem concluſionis iſtius meæ circa Nativitatem labefactare voluerit, priùs ad expugnanda ejus principia machinas adhibeat; & niſi mortem Chriſti alio anno quàm 33. Æræ communis, Baptiſmum alio quàm 30. tam ætatis, quam Æræ communis contigiſſe demonſtret, Nativitatem & Circunciſionem ab exordio Æræ communis longiùs abeſſe non perſuadebit.

Ex morte Chriſti 33. anno ætatis & Æræ conſtat natum ad initium ejuſdem Æræ.

Et quamvis non ſim neſcius graves aliquas difficultates contra hanc de Chriſti Nativitate ſententiam occurrere, non propterea tamen eam deſerendam reor, ſive quia in aliis ſententiis non minores exiſtunt, ſive quia certitudo ejus jam conſtans ex Chriſti morte redditur; mens verò ſapientum eſt valde rationabilis, ſententiam quæ certa & evidens eſt non deſerendam, etiamſi contra illam difficultates inſolubiles opponantur.

Hoc ergo in libro inveſtigabimus alias circunſtantias circa Chriſti Nativitatem, quo nempe anno Auguſti Imperatoris facta fuerit, quo anno Vrbis conditæ, ſub quibus Conſulibus, quo anno Herodis, & alias ejuſdem modi, quibus & veritas noſtræ ſententiæ magis illuſtrabitur, & dubitationes ei contrariæ faciliùs ſolventur.

CAPVT PRIMVM.

Quo anno Auguſti Chriſtus natus.

Nativitas & Circunciſio Chriſti anno 4. Olymp. 194.

ANNVS Olympiadis 194. 4. jam conſtat Nativitati convenire, ex morte Chriſti anno 4. Olympiadis 202. probata lib. 1. Detractis enim octo Olympiadibus, ideſt,

32

Digitized by Google

32. annis integris vitæ Chriſti, ex poſterioribus Olympiadibus fiunt priores, & utriuſque annus 4. concurrit ibi cum anno Mortis, hic cum anno Nativitatis & Circuncifionis: nam cum eodem eiuſdem Olymp. anno Nativitas & Circunciſio concurrunt.

Iulianus 46. concurrit cum 1. Chriſti.

Annus quoque Iulianus 46. conſtare debet, ex morte conſtituta ibidem anno Iuliano 78. hinc enim ſublatis 32. vitæ Chriſti annis, ſupereſt 46. concurrens cum 1. Chriſti, cui competit Circunciſio, & propter vicinitatem, Nativitas.

Et ſimiliter iis qui Periodo Iuliana utuntur conſtare debet mortem Chriſti incidere in annum illius Periodi 4746. à quo numero ſi anni 32. integri tollantur, 1. Chriſti cum 4714. concurret.

Et 4714. Periodi Iulianæ.

De anno autem Auguſti major eſt controverſia propter diverſas Autorum ſententias, tam circa initium annorum Auguſti, quàm circa diverſos annos quos alij 44. alij 42. alij 30. alij 28. alij alios numerant.

Quæ ut intelligantur, ſciendum eſt ex peritiſſimis hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, initium Imperij Auguſti à pleriſque ſumi à morte Iulij, Idibus Martiis, Olymp. 183. anno 4. nondum finito, anno Iuliano 2. à Calendis Ianuariis inchoato.

Exordium Imperij Auguſti in morte Iulij.

Olymp. 183. 4. anno Iuliano 2.

Annum Olympiadis manifeſtum faciunt duæ Epiſtolæ Ciceronis ad Atticum, quibus poſt mortem Iulij in Græciam profectus, meminit Olympicorum certaminum, eo anno celebrandorum, eumque rogat, ut quo die futura eſſent doceat, & ſpecioſum prætextum ſui ex vrbe diſceſsús in eorum ſpectaculo ponit.

Lib. 15. epiſt. 24.

Lib. 16. epiſt. 7.

Herrvart. cap. 192. & ſeqq.

Initium Imperij Auguſti in morte Iulij ponunt, qui annos ei Imperij octo & quinquaginta tribuunt: Ioſephus regnaſſe ait Auguſtum annos 57. & menſes 6. cum certum ſit vitæ & Imperij finem eum habuiſſe 14. Cal. Septemb. anno 2. Olymp. 198. intervallo Olympiadum 14. & duorum annorum, id eſt, annorum 58. nondum completorum, ab Idibus Martijs ad 14. Cal. Septemb.

Lib. 18. cap. 7. Antiq.

P Item

Item, qui imperaſſe eum aiunt admodum juvenem, & nondum annum ætatis 18. prętergreſſum, ut Florus, Eutropius, Suetonius, cùm certum quoque ſit eum natum Cicerone Conſule, anno 2. Olymp. 179. Intervallum autem eſt 18. annorum fere completorum, à 9. Cal. Octobris, ad Id. Martias.

Sueton. in Aug. Plutar. in Cicer.

Ab alijs ponitur exordium Imperij Auguſti in ejus 1. Conſulatu, aut Triumviratu, duobus fere poſt Iulij necem annis, cùm aliquandiu debilis, & ab Antonio contemptus, vires ſumpſiſſet, Conſulatum vi invaſiſſet, & cum Antonio & Lepido Vrbis & Orbis Romani poteſtatem partitus eſſet, anno Iuliano 3. Olymp. 184. an. 2. 5. Cal. Decembris.

A 1. Conſulatu & Triumviratu.

Iuliano 3.

Ab aliis duodecim poſt annis, in victoria ad Actium Promontorium, devicto Antonio & Cleopatra, 3. Nonas Sept. anno 2. Olymp. 187. Vnde Onuphrius ad eam pugnam ex Calendis Octobris initium Imperij Octaviani Cæſaris ponit, nondum tamen mortuis Antonio & Cleopatra, anno Iuliano 15.

A pugna Actiaca.

Lib. 2 faſt.

Iuliano 15.

Ab aliis ab eo tempore, quo poſt mortem Antonij & Cleopatræ, ſequenti ab Actiaca pugna anno patratam, Imperatoris nomine ab exercitu palam donatus eſt Olymp. 187. anno 3. Iuliano 16. & hoc tempus Ægypti ſubjugatæ, & privatæ Monarchiæ Auguſti eſt appellatum, quando ſolus ſine competitore imperavit, nondum tamen publicè declaratus, & hinc anni Actiaci.

A morte Antonij & Cleopatrę.

Iuliano 16.

Cenſor. c. 21.

Ab aliis quando poſt tres annos Auguſtus appellatus eſt, 16. Cal. Febr. & totius Imperij poteſtas ei magnificè à Senatu Populoque Romano confirmata eſt, anno Iuliano 19. Olymp. 188. anno 1. nondum finito, & tunc vera Monarchia Auguſti cępit, & hinc anni Auguſtorum.

A nomine Auguſti collato.

Iuliano 19. *Cenſor. c. 21.*

Ab aliis anni tribuuntur Imperio Auguſti 56. ab aliis 58. ab omnibus vitę 76. fere completi, poſt Actiacam victoriam vitę & Imperij 44. minus diebus tredecim.

Quæ fere omnia bene explicat Paulus Foro ſemproni-enſis toto lib. 13. 2. partis.

In Paulina.

Vbi

Digitized by Google

Vbi non malè obſervat Dionyſium Abbatem Rom. aſſerere 1. annum Imperij Auguſti inchoari à Martio, in quo Iulius Cæſar occiſus eſt, à Martio ſcilicet anni 3. Olympiadis 184. & Chriſti Nativitatem ponere in 42. Auguſti. Et bene eum in eo corrigit, quòd à morte Iulij ad Chriſti Nativitatem non 42. ſed 44. anni numerandi ſint. Itemque in eo, quod mors Iulij non anno 3. ſed 1. Olympiadis 184. contigerit. Nota hic tamen obitum Iulij in Martio meliùs poni in anno 4. Olymp. 183. quàm in 1. 184. in Martio enim nondum finitus erat annus ille quartus, licet ad finem vergeret.

Dionyſij error in Chriſti Nativitate corrigitur.

Cap. 6.

Mavult autem ipſe Paulus Imperium Auguſti ordiri ab ejus Triumviratu, quàm à morte Iulij; ideoque paſſim carpit Chronologos, quod biennio in Chriſti Nativitate computanda anticipando erraverint. Sed de hac ejus aliorum correctione ſtatim poſtea nobis agendum.

Iuxta varias ergo has acceptiones annorum Auguſti, & exordij ejus Imperij, non erit difficile determinare quo ejus anno Chriſtus ſit natus, immo nec conciliare diverſas de eo ſententias.

Atque imprimis quidem in ſententia à me hactenus explicata & probata, quòd annus 1. Chriſti ſit 1. Æræ communis, Iulianus 46. Olymp. 194. 4. nondum finitus 8. Cal. Ianuarias, quando natus eſt Chriſtus, adeoque nec ipſis Calendis quibus circunciſus: manifeſtè conſequitur 1. Chriſti eſſe Auguſti à morte Iulij, & initio Imperij ab Idibus Martij anni 2. Iuliani putato, 44. nondum finitum, in Cal. Ianuariis, & finiendum 15. Martij anni illius Iuliani 46. Sumpto autem exordio Imperij Auguſti ab ejus Triumviratu, & 1. Conſulatu, menſibus circiter 18. poſt Iulij mortem, anno Iuliano 3. paulo ante Decembrem, Nativitas & Circunciſio Chriſti cadunt in annum Auguſti 42. per unum menſem & aliquot dies inchoatum.

1. Chriſti à morte Iulij, Auguſti 44. nondum finitus Cal. Ianuariis.

Ab Auguſti Triumviratu.

42. inchoatus.

A pugna quoque Actiaca anno Iuliano 15. menſe Septembri, Nativitas contigit anno Auguſti 30. abſoluto, & inchoato 31.

à Pugna Actiaca. 31. Inchoatus.

P 2 A morte

Digitized by Google

A morte Antonij 30. inchoatus.

A morte autem Antonij & Cleopatræ, ſeu Ægypto penitus ſubjugatâ, anno Auguſti 30. inchoato.

A Monarchia integra 27. prope abſolutus.

Denique à Monarchia autoritate publicâ confirmata, & appellatione Auguſti, anno 27. prope confecto.

Cap. 141. & 191.

Et ita Sextus Rufus, vir Conſularis, ut notat Heruuartus in Nova Chronologia, ineunte anno Chriſti 364. numerat annum ab Auguſti Monarchia Hirtio & Panſa Conſulibus, 407. Ex hoc tolle illum, reſtant 43. anni completi inter Auguſti Monarchiam & Chriſti primum, cum aliquot menſibus. Monarchia autem illa Auguſti ſumitur ab initio ejus regni in morte Iulij; Hirtius enim & Panſa Conſules fuerunt anno Vrbis conditæ 710. nondum finito, Iuliano 3. primo Auguſti à morte Cęſaris nondum quoque finito. Sic ergo annos Auguſti à morte Cęſaris numerando, Nativitas & Circuncíſio Chriſti facta eſſet anno 44. Auguſti deſinente, quemadmodum nos eam pauló ante docuimus factam, & neceſſe eſt omnes fateri, qui Chriſtum volunt mortuum anno Iuliano 78. ætatis 33. Annus enim ille Auguſti 44. concurrit cum Iuliano 46. unde additis ad 45. Iulianos, qui pręcedunt Chriſti primum, 33. vitæ Chriſti, fit annus Iulianus 78. per tres menſes inchoatus.

Chriſtus natus 44 Auguſti, ex Sexti Rufi computo.

Similiter ad annos Auguſti 44. fere integros, qui pręcedunt Chriſti Nativitatem, additis 14. quibus ſupervixit Auguſtus, & 19. Tiberij, in cujus 19. Chriſtus eſt mortuus, fiunt anni 77. fere completi, à Iulij morte, & initio Auguſti anno 2. Iuliano. Ex iis verò 77. annis Chriſtus vixit 33. inchoatos, ante quos Auguſtus imperavit fere 44.

Ita etiam, ſi nihil aliud obſtaret, intelligi poſſent Euſebius, Divus Hieronymus, Proſper, & plerique Chronologi illos ſecuti, cùm aiunt Chriſtum natum anno Auguſti 42. ſumpto initio Imperij Auguſti ab ejus Triumviratu & primo Conſulatu, ſub finem anni 3. Iuliani: ab eo enim anno, 5. Cal. Decembres, quando confirmatus eſt Triumviratus, uſque ad 25. Decembris anni 45. Iuliani, quo

42. ex ſententia Euſebij & aliorum.

Digitized by Google

quo Chriſtus natus eſt, fluunt anni 42. & aliquot ſolùm dies.

Quo ſenſu non malè Paulus Foroſempronienſis dicit duo eſſe initia Imperij Auguſti, alterum in morte Iulij, alterum in primo Conſulatu, aut Triumviratu Auguſti, intervallo fere biennij. Item duo initia Monarchiæ Auguſti, alterum in pugna Actiaca, aut morte Antonij & Cleopatræ, alterum in reditu Auguſti Romam & appellatione Auguſti, & juxta illa diverſas Chronologorum ſententias exponit, & docet quoſdam in annis Chriſti computandis biennio erraſſe. Vnde concludit Chriſtum natum anno 44. Imperij Auguſti, ſumpto initio à morte Iulij, 42. à 1. Conſulatu & Triumviratu.

In Paulina part. 2. lib. 11. cap. 2.

Propter duo initia Imperij Auguſti.

Lib. 13. cap. 1. & ſeqq.

Paulò verò aliter Hervuartus obſervat Chronologos communiter biennio prævenire Æram communem, juxta Græcos, qui annos Æræ Conſtantinopolitanæ ſequuntur, & Nativitatis annos, non Incarnationis nominant. In Incarnatione enim Chriſti biennio veram Chriſti Æram præveniunt, in Nativitate triennio. Et ibi de Scaligeri & Baronij cauſis errandi non negligenter diſputat.

Cap 160. & ſeqq.

Chronologi biennio diſſident.

Ita qui Chriſtum natum aſſerunt anno Auguſti 30. ſumunt annos Auguſti vel à pugna Actiaca, & annum 30. completum numerant; vel à morte Antonij & Cleopatræ, & 30. ſolum inchoatum.

30. juxta rationem Ptolemæi.

Et juxta hanc Chronologiam Ptolemæus annos Auguſti computat, à Nabonaſſari Imperij initio ad mortem Alexandri numerans annos Ægyptios 424. & à morte Alexandri ad Imperium Auguſti 294. abſolutos, qui ſimul efficiunt 718. hi enim 718. Nabonaſſari, vel 294. Alexandri, exactè cadunt in annum Iulianum 16. deſinentem, quo anno mors Antonij & Cleopatræ contigit, & Ægyptus dicta eſt debellata, anno ante Chriſtum 30. Et ita rectè dici potuit Chriſtus natus 30. Auguſti anno.

Lib. 4.

Ita denique qui natum Chriſtum dicunt anno 28. Auguſti, aut Ægypti ab Auguſto ad cenſum deſcriptæ, annos

28. juxta Clementem Alexandrinum.

Digitized by Google

annos Auguſti à conſtituta palam Monarchia putant : ut Clemens Alexandrinus, ubi ait : *Natus eſt Dominus noſter anno octauo & vicesimo ab eo tempore quo primùm juſſæ ſunt deſcriptiones ab Auguſto.* Et paulo poſt Natalis Domini annum numerat Auguſti 28.

1. Stromat. Τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει.

Ἔτους κη΄. Αὐγούστου.

Et eò ſane ſpectat quod ait Cenſorinus, annum quo ſcribebat Libellum aureum de die natali, Vlpio & Pontiano Conſulibus, qui annus erat Chriſti & Æræ com. 238. ut defectio Solis 2. Aprilis facta manifeſtè demonſtrat; annum inquam illum eſſe Iulianum 283. à Cal. Ianuar. eorum verò annorum qui Auguſtani vocantur 265. Romanis, quia eo anno ſententia L. Munacij Planci a Senatu cęteriſque civibus Iulius Cęſar Divi filius Imperator Auguſtus appellatus eſt, die 16. Cal. Februarij, ipſo Auguſto ſeptimum, & Marco Vipſano Agrippa tertium Conſulibus : Ægyptiis verò eum annum numerari 267. quia biennio ante in poteſtatem ditionémque populi Romani venerant. Quibus bellè confirmatur ratio computi à Ptolemęo uſurpata, de qua paulò ante agebamus.

Cap. 21. Et Cenſorini computũ.

Ex quibus vides rectè ſtare quod intendimus, nempe Chriſtum natum & circunciſum anno 44. Auguſti Imperatoris nondum finito, facto initio ejus Imperij à Iulij morte, 15. Martij.

Chriſtus natus anno 44 Auguſti, à morte Iulij.

Quo verò anno Vrbis Conditæ, & quibus Conſulibus, ſequitur ut inquiramus.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

QVO ANNO VRBIS CONDITÆ, ET QVIBVS Conſulibus Chriſtus natus.

QVANTVM ſpectat ad annos Vrbis conditæ, res confecta eſt, ſi exacta ratio adhibeatur qua anni Vrbis cum annis Iulianis, cum annis Æræ communis, adeòque cum annis Olympiadum, & cum ipſis annis Auguſti, certa ſerie connectantur. Cùm enim jam hos annos, & inter ſeſe, & cum Chriſti ætate, firmis vinculis conjunxerimus, cùm poſuimus primum Chriſti, cujus Calend. Ianuariis circunciſus eſt, eſſe primum Æræ communis, Iulianum 46. Olymp. 194. annum 4. inchoatum ab æſtivo Solſtitio pręcedente, & Auguſti 44. ab Idibus Martiis pręcedentibus; certè ubicunque apparebit certa connexio annorum Vrbis conditæ cum aliquo ex iſtis, certum quoque dabitur argumentum conſtituendi ad quem Vrbis annum Chriſti Nativitas, Circunciſio, tota vita, & mors ipſa pertinebit.

Ex connexione annorum Vrb. cond. cum aliis, habetur connexio cum annis Chriſti.

Sed quoniam, ut ipſe M. Tullius obſervat, de annorum Vrbis conditæ numero eſt inter Scriptores controverſia, variæque à variis & inter ſe diſcrepantes proferuntur Tabulæ, certúmque eſt propter diverſitatem menſium, anni ipſius quantitatem variatam ab ipſo Vrbis initio, & conſequentibus ſubinde temporibus, fuiſſe. Ideo nec exactus ubique annorum numerus requirendus eſt, nec in certo annorum numero certa dierum quantitas, aut ordo qui cum Iulianis aut Olympiadicis annis exquiſitè reſpondeat, expectandus.

In Bruto.

Diverſa ratio annorũ Vrb. cond.

Quamobrem cùm nulla magis probata & generaliter accepta

accepta ratio connectendi annos Vrbis cum Iulianis, & Olymp. atque Auguſtanis, eà exiſtat, quam paulò ſuperiùs ex Cenſorino uſurpavimus, & ſecundùm illum conſtet annum iulianum 283. concurrere cum anno Vrbis conditæ Varroniano 991. à Palilibus, unde Vrbis anni numerantur; id eſt, die 21. Aprilis ejuſdem anni iuliani, omnino conſequitur annum Chriſti, & Æræ communis primum, qui eſt iulianus 46. cum anno Vrbis conditæ 754. ſimiliter à Palilibus ejuſdem anni iuliani concurrere; & ita Chriſti Nativitatem & Circuncìſionem anno Vrbis 753. nondum finito contigiſſe.

Cap. 21.

Nativitas & Circuncìſio Chriſti anno Vrbis conditæ Varroniano 753. nódum finito.

Et juxta ejuſdem Cenſorini calculum primus iulianus à 21. Aprilis concurrit cum anno Vrbis 709. ſecundus iulianus, primus Auguſti, cum anno Vrbis 710. 19. Iulianus, Auguſti 18. cum anno Vrbis 727. in eodem anno iuliano.

Iuxta calculum Cenſorini.

Quibus conſentaneum eſt quod Solinus & Rufus appellant annum quo Hirtius & Panſa Conſules fuerunt, 710. ab Vrbe condita, utique deſinentem, & in Palilibus inchoatum, proximè poſt Iulij mortem & initium primi anni Auguſti.

Solini.

Et quòd Caſſiodorus & Faſti Siculi hos Conſules anno Vrbis 710. edunt, quos Sigonius ſequitur, & Pighius, qui hujus anni notam celebrem obſervat in nummo argenteo à ſe viſo Venetiis cum effigie Libertatis, nomine Panſæ inſcripto, & numero anni 710. Vrbis conditæ. Hic ergo annus Vrbis conditæ 710. adeo illuſtribus notis deſignatus, in Palilibus inchoatus eſt anno 2. iuliano, & finitus tertio, quo Conſulatum Hirtius & Panſa inierunt, & morte reliquerunt; *Cum cecidit fato Conſul uterque pari*, ut de utroque pariter canunt Tibullus & Ovidius, qui Conſulatum illum natalem ſuum agnoſcunt. Annus ergo hujus Conſulatûs eſt iulianus tertius, ante primum Chriſti 43. concurrens ex prima ſua parte cum anno Vrbis 710. exeunte, & ex poſteriori cum anno Vrbis 711. ineunte. Vnde ſequitur Chriſtum natum anno Vrbis 753. nondum finito.

Caſſiodori & aliorum. Anno Vrb. cond. 710.

Eodem

Digitized by Google

In Claudio.

Eodem ſpectat quòd Sextus Aurelius Victor ſextum annum Claudij cum Vrbis octingenteſimo conjungit, & utrumque Eclipſi Lunæ conſignat, quam ad ultimam noctem anni 46. Chriſti pertinere calculus Aſtronomicus rite demonſtrat.

Numeratis enim à ſecundo anno Iuliano, quo inchoatus eſt Vrbis 710. ut paulò ante dicebamus, uſque ad finem Iuliani 45. quo alia Eclipſis Lunæ contigit inter Chriſti Nativitatem & Circuncifionem annis 44. & ab eadem Eclipſi uſque ad eam quæ ſexto Claudij ad finem anni 46. Æræ communis, aliis annis 46. fiunt anni 90. quibus additis ad ſeptingenteſimum decimum anno 2. Iuliano inchoatum, omnino invenietur octingenteſimus Vrbis, anno Chriſti 46. inchoatus magna celebritate in Palilibus 21. Aprilis, cum quo fere toto concurrebat ſextus Claudij inchoatus 9. Calend. Februarij ejuſdem anni 46. Chriſti & Æræ communis, nondum finitus in fine Decembris, quando Eclipſis illa Lunæ contigit.

Ac Velleij Paterculi. *Lib. 1.*

Denique quod Velleius Paterculus numerat à primis Palilibus ad Conſulatum Marci Vinicij Quartini, qui duos Geminos Conſules immediatè preceſſit, annos 782. Annus enim Vrbis 782. ipſe ille eſt, quo nondum finito Chriſtus baptizatus eſt die 6. Ianuar. anno Iuliano 75. & æræ com. & ætatis 30. Tiberij 16. & Olympiadis 202. primo nondum finitis; ut libro ſuperiori cap. 2. docuimus. Detractis ergo 29. annis Chriſti à 782. reſtat 753. Vrbis conditæ, cum primo Chriſti concurrens Calend. Ianuariis. Fidem autem ſibi Velleius ex eo certiſſimam vendicat, quòd Scriptor ſit exactiſſimus, & res ſui temporis explicet, magnæ vir in Republica Romana autoritatis, & librum ſuum ad illum ipſum Conſulem Marcum Vinicium Quartinum dicarit, qui proximè poſt Geminos Conſulatum iniit, nondum finito illo quem nominat ab Vrbe condita 782. Vnde rectè Iuſtus Lipſius in epiſtola Velleio prefixa ait Velleium hiſtoriam ſuam pertexuiſſe uno filo ad Conſulatum M. Vinicij, id eſt, annum Vrbis 782. Tiberiani

Digitized by Google

autem imperij 16. nondum ſcilicet finitos. Quæ magnopere ſententiam noſtram & hiſtoriæ veritatem confirmant circa annum Vrbis & Tiberij, quo Conſulatum geſſerunt ambo Gemini; unde & annus Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti certiſſimè colligi poteſt.

Quantum ſpectat ad Conſules, non minor ſanè obſcuritas & incertitudo circa ordinem & nomina, quam circa annos Vrbis, & Iulianos, quibus concurrunt, exiſtit: quidam omnino è Faſtis interciderunt, quidam inducti ſunt, quidam ſuffecti & multiplicati, quidam geminati, quidam expuncti; unde factum eſt, ut alij è Scriptoribus euoſdam, alij alios iiſdem annis intexuerint, & Caſſiodorus alios Faſtos Conſulares, Onuphrius alios, Sigonius alios ediderint. Quare ut in omnibus certitudo haberi non poteſt; ita ubique non eſt rejicienda, ſed admittenda ubi Autores magis probati, & plures, & melioribus notis annos Conſulum diſtinguunt.

In noſtro ergo negotio de Conſulibus in Chriſti Nativitate & Circuncisione, quarum prior in fine anni 45. Iuliani facta eſt, poſterior initio 46. ideòque ad duo paria Conſulum pertinent; nihil habeo certius, quàm quod ſcribit Sigonius ad Conſules anni Vrbis 752. & 753. ex Caſſiodoro Conſules anno Vrbis 752. fuiſſe Lentulum & Piſonem; qui nondum finito anno Vrbis 752. Magiſtratum inierunt, & fluente 753. reliquerunt. Conſules verò anno Vrbis 753. fuiſſe Caium Cęſarem & Lucium Æmilium Paulum, qui pariter illo anno Vrbis 753. nondum finito 1. Ianuarij anni Iuliani 46. quo Chriſtus circunciſus eſt, Conſulatum ſuſceperunt. Vnde ſequitur Chriſtum natum aliis Conſulibus, nempe Lentulo & Piſone; aliis circunciſum, nempe Caio Cęſare & Lucio Paulo, eodem anno Vrbis 753. adhuc durante.

Comm. in Fauſt.

Natus Chriſtus coſſ. Lentulo & Piſone. Circunciſus C. Cęſare & L. Paullo.

Onuphrius eoſdem Conſules C. Cęſarem & L. Paullum ponit anno 4. Olympiadis 194. nondum finito. Annales Pighij eos conjungunt cum anno Vrbis 753. Plerique alij Scriptores cum 46. Iuliano, quæ eodem omnia recidunt.

Keplerus

Digitized by Google

Keplerus ait eum Conſulatum incidere in annum Iulianum 46. Et rectè Petavius primum Æræ vulgaris conjungit cum Iuliano 46. & Conſulatu Caij Cęſaris & Lucij Pauli, Olympiadis 194. anno 4. nondum finito Calend. Ianuariis, Vrbis conditæ 753. & Auguſti 44. adhuc fluentibus, quæ docent quod intendimus, annum 1. Chriſti totum concurrere cum Conſulatu Caij Cęſaris & Lucij Pauli. Caius autem hic Cęſar Auguſti nepos ex Iulia filia, & Agrippa natus, ab Auguſto adoptatus, & magna cura ad Reipublicæ ſtudium educatus, Conſulatum hoc anno geſſit, quem ei avus quinque ante annis deſtinaverat, eòque ſibi a Senatu impetrato, Caium interim vix prętextà depoſità Principem juventutis crearat, & in privatis publicisque conciliis ad rerum adminiſtrationem & imperij ſucceſſionem erudiebat.

De anno Nat. Chriſti, cap. 15.
Lib. 3 de doct. Temp.

Caius Auguſti nepos Cõſul anno 1. Chriſti.

Onuphrius eodem anno ponit Caium Cęſarem Conſulem, & Herodis crudelitatem erga infantes Iudæorum Innocentes. Sed uno anno it longius, & anno pręcedenti ponit Chriſti Circuncitionem, dans Chriſto vitæ annos 34. falſus in anno 15. Tiberij & Conſulatu Geminorum, in Chriſti Baptiſmo anno vitæ 30. poſitis quinque Paſchatis uſque ad Paſſionem.

In lib 2. Faſt. ad an. Vrb. cond. 754.

786. de anno & die Paſſionis.

Hoc ergo anno Iuliano 46. Auguſtus Caium in ampliſſimum Magiſtratum, quem ei jam diu ſervabat, cùm primum potuit, introduxit.

Iam verò ſtabilito Conſulatu concurrente cum 1. Chriſti anno, de cęteris Chriſti annis, Baptiſmo pręſertim & Morte, judicandum erit penes Autores probatiſſimos, & magis receptos: in re enim admodum dubia, & in varias ſententias diviſa facilè patet errori locus. Et quamvis, ut aſſerit Divus Auguſtinus, ignorantia Conſulatûs quo natus eſt Dominus multos coegit errare; non apparet tamen ita evidenter ut ipſe exiſtimavit, quo Conſule natus ſit. Certè id aſſeverare poſſumus, in Conſulum Tabulis, nominibus, & ordine, non eſſe in multis magnopere fidendum.

De doct. Chriſt. lib. 2. cap. 28.

Tract. 23. in Ioan.

Ratio temporum per Conſules ſępe dubia.

Digitized by Google

In iis autem, ut & in annis quibus concurrunt cum aliis, à primo Iuliano uſque ad primum Æræ communis & Chriſti, Tabella ſequens lucem dabit.

Quomodo componendi anni diverſæ rationis.

In qua Tabula ſolùm obſervandum eſt annos Olympiadum, Vrbis conditæ, & Imperatorum, qui cum annis Iulianis & Æræ Chriſti componuntur, inchoari quidem illo anno cum quo componuntur, ſed ſuo proprio menſe & die; exempli causâ, annus primus Auguſti inchoatur 44. ante Chriſtum, 2. Iuliano, ſed 15. Martij. Similiter annus primus Olympiadis 184. eodem anno inchoatur, ſed in Solſtitio æſtivo. Et annus 710. Vrbis conditæ eodem quoque anno ſumit exordium, ſed in Palilibus, id eſt, Aprilis 21. Et annus 27. ætatis Herodis inchoatur eodem anno, incertum quo menſe, modò ante Paſcha, ut Herodes in morte 70. abſolverit.

Et hujus quidem obſervationis defectu ſępe res geſtæ, & ſeries temporum confunduntur, dum anno uni ea tribuuntur, quæ alteri conveniunt. Littera B quarto quoque anno affixa ſatis indicat eum annum eſſe Biſſextilem legitimum, prout à Iulio Cęſare deſignatus erat.

Digitized by Google

TABELLA ANNORVM XLVI.
à primo Iuliano ad primum Chriſti.

	Ante Chriſtū.	Iuliani.	Olymp.	Vrb. C.	Imperat.	Conſules.	Herodis.
B.	45.	1.	183. 4.	709.	Iul. Cæſ.	Iul. Cæſar. 4. ſine Collega.	Ætatis 26.
	44.	2.	184. 1.	710.	Iulij. obit. 15. Martij Auguſti 1.	Iul. Cæſar. 5. M. Antonius	27.
	43.	3.	2.	711.	Aug. 2. 1. Conſul. & Triumvirat.	Hirtius Panſa.	28.
	42.	4.	3.	712.	3.	Lepidus 2. Plancus.	29.
B.	41.	5.	4.	713.	4.	L. Antonius P. Seruilius.	30.
	40.	6.	185. 1.	714.	5.	Domit. Calui. Aſin. Pollio.	31.
	39.	7.	2.	715.	6.	Cenſorinus Sabinus.	32.
	38.	8.	3.	716.	7.	Pulch. Claud. Flac. Norba.	33.
B.	37.	9. Capta Ieroſ. ab Herod.	4.	717.	8.	M. Agrippa L. Gallus.	Ætat. 34. regni 1.
	36.	10.	186. 1.	718.	9.	Poplicola Nerua.	Ætat. 35. reg. 2.
	35.	11.	2.	719.	10.	Sext. Pompe. Luc. Cornific.	Ætat. 36. reg. 3.
	34.	12.	3.	720.	11.	M. Anton. 2. Scribon. Libo.	Ætat. 37. reg. 4.

Digitized by Google

TABELLA ANNORUM XLVI.
à primo Iuliano ad primum Chriſti.

	Herodis.	Conſules.	Imperat. Auguſti.	Vrb. C.	Olymp.	Iuliani.	Ante Chriſtũ.
B.	Ætat. 38. Regn. 5.	C. Cæſ. Oct. 2. Volcat. Tullus	12.	721.	186. 4.	13.	33.
	ætat. 39. regni 6.	Ahenobarbꝰ C. Soſius.	13.	722.	187. 1.	14.	32.
	ætat. 40. regni 7.	C. Cæſar 3. Meſſala Corvinus.	14. Victor. Acti. 2. Septemb.	723.	2.	15.	31.
	ætat. 41. regni 8.	C. Cæſar 4. Licinius Craſſus.	15. Mors Ant. & Cleop.	724.	3.	16.	30.
B.	ætat. 42. regni 9.	C. Cæſar 5. Sextus Apul.	16.	725.	4.	17.	29.
	ætat. 43. regni 10.	C. Cæſar 6. M. Agrippa 2.	17.	726.	188. 1.	18.	28.
	ætat. 44. regni 11.	C. Cæſ. Aug. 7. M. Agrippa 3.	18. 1. Auguſt	727.	2.	19.	27.
	ætat. 45. regni 12.	C. Cæſar Auguſtus 8. Statilius Tau.	19.	728.	3.	20.	26.
B.	Ætat. 46. regni 13.	C. Cæſar Auguſt. 9. M. Iunius Silanus. r.	20.	729.	4.	21.	25.
	Ætat 47. reg. 14.	C. Cæſar Auguſt. 10. Norbanus Flaccus.	21.	730.	189. 1.	22.	24.

Digitized by Google

TABELLA ANNORVM XLVI.
à primo Iuliano ad primum Chriſti.

	Ante Chriſtũ.	Iuliani.	Olymp.	Vrb. C.	Imperat. Auguſti.	Conſules.	Herodis.
	23.	23.	189. 2.	731.	22.	Cæſ. Aug. 11 Calpurn. Piſo	Ætat. 48. Regn. 15.
	22.	24.	3.	732.	23.	Claud. Marcel Arrũt. Nepos	ætat. 49. regni 16.
B.	21.	25.	4.	733.	24.	M. Lollius Æmil. Lepid.	ætat. 50. regni 17.
	20.	26.	190. 1.	734.	25.	Apul. Nepos Silius Nerua	ætat. 51. regni 18.
	19.	27.	2.	735.	26.	Sẽt. Saturnin. Lucr. Viſpillo	ætat. 52. regni 19.
	18.	28.	3.	736.	27.	P. Corn. Lent. Cn. Corn. Lẽt.	ætat. 53. regni 20.
B.	17.	29.	4.	737.	28.	C. Furnius Iun. Silanus	ætat. 54. regni 21.
	16.	30.	191. 1.	738.	29.	Dom. Ahenob. Cornel. Scipio	ætat. 55. regni 22.
	15.	31.	2.	739.	30.	Liuius Druſus Calpurn. Piſo	Ætat. 56. regni 23.
	4.	32.	3.	740.	31.	Cn. Lentulus Licin. Craſſus	Ætat. 57. reg. 24.
B.	13.	33.	4.	741.	32.	Tib. Cla. Nero Quintil. Varus	Ætat. 58. reg. 25.
	12.	34.	192. 1.	742.	33.	M. Val. Meſſal Sulp. Quirinus	Ætat. 59. reg. 26.

TABELLA ANNORVM XLVI.
à primo Iuliano ad primum Chriſti.

	Herodis.	Conſules.	Imperat. Auguſti.	Vrb. C.	Olymp.	Iuliani.	Ante Chriſtũ.
	Ætat. 60. Regn. 27.	Paul ſab. Max P. Ælius Tub.	34.	743.	192. 2.	35.	11.
	ætat. 61. regni 28.	Ant. Aphric. Q. ſab. Max.	35.	744.	3.	36.	10.
B.	ætat. 62. regni 29.	Cl. Druſ. Nero. Quintius Criſ.	36.	745.	4.	37.	9.
	ætat. 63. regni 30.	Martius Cenſ. Aſiniꝰ Gallꝰ.	37.	746.	193. 1.	38.	8.
	ætat. 64. regni 31.	Tib. Cl. Nero. Calpurn. Piſo.	38.	747.	2.	39.	7.
	ætat. 65. regni 32.	Lælius Balbꝰ. Anſtitiꝰ Vetꝰ	39.	748.	3.	40.	6.
B.	ætat. 66. regni 33.	Aug. Cæſar 12 L. Corn. Sulla.	40.	749.	4.	41.	5.
	ætat. 67. regni 34.	Caluiſiꝰ Sab. Paßienꝰ Rufꝰ	41.	750.	194. 1.	42.	4.
	Ætat. 68. regni 35.	Cornel. Lent. M. Val. Meſ.	42.	751.	2.	43.	3.
	Ætat. 69. reg. 36.	Aug. Cæſar 13 Plaut. Siluanꝰ & ſuffectus Caninius Gallus.	43.	752.	3.	44.	2.
B.	Ætat. 70. reg. 37.	Coſſ. Corn. Lẽt. Calpurn. Piſo.	44.	753.	4.	45.	1. An. Incar. & Nat.
	Ætat. 71. reg. 38. inchoati in morte.	Caiꝰ Iul. Cæſar Æmil. Paulꝰ.	45.	754.	195. 1.	46.	Chriſti 1. Circunſiõ.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

QVO ANNO HERODIS CHRISTVS NATVS.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Variæ ſententiæ circa annum quo Herodes vitâ exceſſit.

I. CIRCA annum Natiuitatis Chriſti Domini hoc imprimis tanquam Catholica fide certum, conſtituendum ſeſe objicit, eam ante Herodis Regis obitum contigiſſe. Sic enim Sanctus Matthæus: *Cùm natus eſſet*, inquit, *IESVS in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis.* Vbi & hiſtoriam aduentûs Magorum Ieroſolymam, turbationem Herodis, & occiſionem infantium in odium Chriſti, fusè deſcribit. Vnde nemini Catholico dubitare fas eſt, quin Herodes adhuc in viuis eſſet, quando Chriſtus in lucem venit. Quare ſi Herodes ante primum Æræ communis annum mortuus eſt, Chriſtus in fine Decembris primum illius æræ annum præcedentis naſci non potuit, nec initio Ianuarij illam æram inchoantis circuncidi.

Cap. 2. De fide eſt Chriſtum natum ante Herodis mortem.

An ergo ita ſe res habeat, an aliter, & quo modo ſe mors Herodis ad primum Æræ communis accommodet, diligenter inquirendum eſt.

Atque imprimis quidem Ioſephus Herodis obitum ponit circa 70. ipſius vitæ annum, paulò ante Paſcha, cùm præceſſiſſet Lunæ defectio, cùm regnaſſet poſtquam Antigonum ſuſtulit annis triginta quatuor, poſtquam verò à Romanis regnum obtinuit, ſeptem & triginta.

Περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ἦν. καὶ ἡ σελήνη τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπεν. βασιλεύσας μεθ' ὃ μὲν ἀνεῖλεν Ἀντίγονον ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποδέδεικτο ἑπτὰ καὶ τριάκοντα. *Ioſeph. l. 17. Antiq. cap. 8. & 10.*

Quare ſi initium regni Herodis ducatur à ſublato Antigono, quando ipſe Herodes captis Ieroſolymis toti Iudææ

Antiq. lib.14.cap.ult. & lib.15. cap.1.

imperavit (quod contigit Coſſ. M. Agrippa & Claudio Gallo, ut ipſe Ioſephus ſcribit, anno Sabbatico die jejunij menſe 3. & proinde paulò ante initium æſtatis, qui characteres deſignant infallibiliter 9. annum Iulianum & 3. deſinentem Olympiadis 185.) neceſſariò ſequitur ut finis ejuſdem regni & vitæ Herodis poſt 34. annos, cadat in Iulianum 43. Quod eodem modo conſequitur de alio initio, triennio ante, Conſulibus Domitio Calvino ſecundùm, & Caio Aſinio Pollione, Olympiade 184. teſte eodem Ioſepho. Conſules enim iſti Magiſtratum inierunt anno Iuliano 6. in cujus æſtate Olympiadis 194. quartus deſinit. Additis enim 6. ad 37. fiunt 43. ſicut additi 9. ad 34. fiunt pariter 43.

Lib. 14. cap. 26.

Mors Herodis anno 43. Iuliano ex Ioſephi calculo.

Secundùm hanc ergo Ioſephi ſententiam dicendum eſſet Herodem mortuum 43. anno Iuliano ante Paſcha, Olympiadis 194. anno primo nondum finito, proindéque 70. ante annos; natum anno ante primum Iulianum 27. Olympiadis 176. 3. cum quo concurrit annus Vrbis conditæ 680. ad quem additi 70. vitæ Herodis anni facerent annum Vrbis in ejus morte 750. nondum finitum ante Paſcha anni Iuliani 43. non autem 42. ut Keplerus & Petavius contendunt.

Non 42.

Eclipſis Lunæ in morte Herodis à Ioſepho notata, facta anno 42. Iuliano, non 43.

Et quidem hi Autores ſententiam ſuam de morte Herodis anno 42. Iuliano præcipuè fundant in defectione Lunæ, quæ eo anno facta eſt Ieroſolymis die 13. Martij, quam Keplerus diligenter ad calculos revocat in Tabulis Rudolphinis. Et Petavius ſatis exactum ejus Epilogiſmum exhibet.

Cap 32. exempl. 1. præcepti 1[?]1.
De doct. Temp. lib. 11. cap. 1.

Eclog. Chron epiſt. 19. pag. 161. & epiſt. 21. pag. 172.

II. Sed, ut modò dixi, ſententia Ioſephi mortem Herodis affigit non 42. Iuliano, quo Eclipſis illa contigit, ſed 43. quo facta non eſt, ut ipſe Dekerius multis locis agnoſcit; & Sethus Calviſius obſervat in Iſagoge Chronologica cap. 44. ubi exiſtimat infallibilem characterem mortis Herodis à Ioſepho aſſignatum eſſe Eclipſim Lunæ quæ contigit, ut putat ipſe Iuliano 44. & exiſtimat numeros annorum regnum Herodis determinantes ad 34. vel

37. at

37. at non reſpondentes Eclipſi, non ab ipſo Ioſepho poſitos, ſed culpa alicujus ſcioli, qui eos numeros ad ſuum ſenſum accommodavit. Ita Sethus. Ego verò hoc certum inde elicio, ſententiam Ioſephi ſtare non poſſe, & ſecum pugnare ponendo mortem Herodis anno Iuliano 43. & Eclipſim Lunæ in ejus extremo morbo. Eclipſis enim illa cum 43. Iuliano convenire non poteſt, neque 43. Iulianus cum illa. Quamobrem neque Petavius & Keplerus mortem Herodis ponentes in anno Iuliano 42. quo facta eſt Eclipſis, uti poſſunt autoritate Ioſephi, qui annum ponit 43. neque Dekerius, qui annum ponit 43. cui non convenit Eclipſis à Ioſepho aſſignata. Quocunque ergo modo Ioſephi teſtimonium uſurpent, qui eo nituntur, vitioſum eſt, & nulla ei fides habenda: habet enim duo incompoſſibilia in morte Herodis, nempe annum Iulianum 43. & Eclipſin Lunæ paulò ante Paſcha.

III. Preterea hæc ipſa ſententia Ioſephi de morte Herodis vel 42. vel 43. anno Iuliano ſtare non poteſt cum iis quæ alibi idem Ioſephus aſſerit de ætate Herodis, quando à patre Prefecturam Galileæ accepit; tunc enim valde juvenem aſſerit, & annos duntaxat decem & quinque natum. Factum enim hoc ex eodem Ioſepho liquet poſt expeditionem Iulij Cęſaris in ægyptum, quam deſcribit paulò ante, ſimul & amicitiam Cęſaris cum Antipatro patre Herodis, qui Romanorum res in eo bello valde promoverat; unde & à Cęſare, Romana Civitate, & magnis honoribus donatus eſt, & Procurator Iudææ declaratus: ex qua Procuratione Antipater filium Herodem Galilææ prefecit.

Νέῳ παντάπασιν ὄντι. ιε. γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. *Ioſeph. Antiq. lib.* 14. *cap.* 17.

Ἐπίτροπον αὐτὸν ἀποδείκνυσι τῆς Ἰουδαίας. *Idem ib. c.* 14. *&* 15.

Quare cùm Bellum Ægyptium confecerit Cęſar anno Vrbis conditæ 707. ipſo Conſule & Dictatore ſecundùm, Marco Antonio Magiſtro Equitum, ut Onuphrius & ipſe Petavius obſervant, non potuit Herodes ante annum Vrbis conditæ 708. Prefecturam Galileæ à patre accipere. Si ergo tunc annum agebat 15. additis 55. ut veniatur ad 70. mors contingeret anno Vrbis conditæ 763. Quæ, ut

Digitized by Google

dixi, Ioſephi ſententia non convenit cum priori, quæ mortuum ponit anno Vrbis 750. Iuliano 43.

Ioſephi ergo teſtimonium de morte Herodis, vel hoc utrumque falſum eſt, quandoquidem unum aliud deſtruit, vel certè in priori ſtare ſolidè nemo poteſt, ſi nudè proferatur, & niſi aliunde fulciatur, quandoquidem pari jure ſtare quis poſſet poſteriori, quo illi priori.

Et manifeſtè fallitur.

De doct. Temp. lib. 10. cap. 65.

De Anno Chriſti Natali, cap. 8.

Certè poſterius manifeſtè falſum eſt, & vitam Herodis tardius quàm oporteat producit, & juventutem nondum idoneam Pręfecturæ Galilęæ producit. Quare non immeritò Petavius inexcuſabilem Ioſephi hallucinationem arguit, & ſeipſum, quòd aliàs cum Ioſepho ſenſiſſet Herodem annos 15. natum ad eam Pręfecturam acceſſiſſe, corrigit, & annos ei circiter viginti quinque aſſignat, aitque doctos viros pro ιέ. id eſt, 15. legere κέ. id eſt, viginti quinque. Quod etiam aſſerit Keplerus, & jure Suſlygam, id eſt, Dekerium qui Suſligæ pręſidebat, pro ιέ, κέ. legiſſe.

Quod ſi ita eſſet, conſequeretur Herodem mortuum anno Vrbis conditæ 753. nondum finito ante Paſcha, id eſt, Iuliano 46. & bellè quadraret cum noſtra ſententia de Nativitate Chriſti anno Iuliano 45. Sed in errore Ioſephi manifeſto, qui Herodis juventutem accuſat, fundamentum nullum pono.

Quare qui ex Ioſepho contendunt Herodem mortuum anno Iuliano 42. viderint quo modo tueri id poſſunt autoritate petita ex initio regni Herodis à Romanis tradito Domitio Calvino ſecundùm, & Caio Aſinio Pollione Coſſ. Olympiade 184. ex Ioſepho, ideòque anno 4. ejuſdem Olympiadis deſinente, & ante Solſtitium Æſtivum anni Iuliani ſexti. Sí enim poſt, non jam Olympias 184. ſed 185. Ioſepho numeranda fuiſſet. Quod eodem modo dicendum eſt de Olympiade 185. in qua aſſignat Ioſephus excidium Ieroſolymorum à Soſio, & cędem Antigoni, quaſi aliud initium regni Herodis, Conſulibus M. Agrippa & Canidio Gallo, menſe 3. id eſt.

ant

ante Solſtitium anni Iuliani 9. anno 3. ejus Olymp. nondum finito. Nulla enim fides haberi poteſt teſti ſibi manifeſtè contradicenti, & annum Iulianum non 42. morti Herodis aſſignanti, ſed 43. in quo Lunæ defectio, character anni mortis Herodis ab ipſo aſſignatus, facta non eſt; & in quo pariter Autores, qui ejus teſtimonio ſolo nituntur, teſtem ſuum deſerunt.

Fides in Ioſephi teſtimonio nulla.

IV. Vbi obſerva rite à Ioſepho poſitam Olympiadem 184. cùm tamen Petavius melius futurum aſſerat, ſi ſcripſiſſet Olympiade 185. niſi fortè, inquit, ita ſcripſerit. Ex ea enim poſita ſine deſignatione anni, relinquitur in quarto anno nondum finito res facta, ex eo quòd à Ioſepho nominati Conſules inierunt Magiſtratum anno quarto ejus Olympiadis 184. per ſex circiter menſes fluente Cal. Ianuar.

Lib. 10. cap. 65. de doct. Temp.

Olympias bene obſervata.

Obſerva prçterea verum non eſſe quod quidam volunt, quando legunt Olympiadem ſolam & ſine anno, intelligendum eſſe primum annum illius Olympiadis, quo videlicet Olympias initium ducit. Ioſephus enim quartum unius deſignat, & tertium alterius, ubi ſolas Olympiadas numerat.

Non deſignato anno.

V. Verùm, ut dubia Ioſephi fides adhuc magis luceat, & infirmitas teſtimonij, quo nituntur qui anno 42. Iuliano putant Herodis mortem contigiſſe, evidentiùs probetur; addo quædam ejuſdem Ioſephi loca, quæ ſatis probabiliter perſuadere poſſent Herodem mortuum anno Iuliano 46. prçter illum de quo pauló ante agebamus, nempe de Iudçæ Prçfectura Herodi anno 25. ætatis tradita, cui nolumus inſiſtere, propter apertam ejus hallucinationem. Sunt autem iſta imprimis.

Scribit Ioſephus urbem Ieroſolymitanam à Pompeio captam menſe 3. die jejunij, 179. Olymp. C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ.

Ἁλούσης δὲ πόλεως περὶ τρίτον μῆνα, τῆς νηστείας ἡμέρᾳ κατὰ τὴν ἐνάτην καὶ ἑβδομηκοστὴν καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Ioſeph. Antiq. l. 14. c 8.*

Itémque poſt 27. annos, eodémque menſe 3. & jejunij die, captam à Soſio Olymp. 185. Marco Agrippa, & Canidio Gallo Coſſ.

Ἐπὶ τῆς ρπέ Ὀλυμ-

Denique

πάδος τῷ γ. μηνί. Ibidem cap. 28.

Denique poſt hanc Ieroſolymorum cladem, Herodem in regno vixiſſe annos quatuor & triginta, cùm vixiſſet omnino annos ſeptuaginta.

Ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα. Idē l. 17. c. 10. Περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ὤν. Ibidem cap. 8.

Aliud teſtimonium Ioſephi de morte Herodis anno 46 Iuliano.

Ex his probatur Herodem mortuum 44. anno regni Auguſti nondum finito, anno Iuliano 46. inchoato ante Paſcha, eo ipſo anno quo Chriſtus circunciſus eſt, Calendis Ianuariis.

In Augusto.

Cùm enim Octavius Cęſar, qui poſtea Auguſtus dictus eſt, natus ſit eo ipſo anno, quo Ieroſolyma à Pompeio capta ſunt, Cicerone Coſſ. ex Suetonio, & aliis hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, ſequitur ut quando eadem capta ſunt à Soſio, Auguſtus haberet 27. vitæ annos fere completos, & quando Herodes poſt 34. regni annos completos mortuus eſt, haberet Auguſtus annum vitæ 61. completum, & aliquot pręterea menſes. Quare cum Auguſtus regnare cœperit in morte Iulij anno Iuliano 2. annos circiter octodecim natus, ut iidem Scriptores Romani teſtantur: ſi ab uno & ſexaginta tollas octodecim, reſtant integri 43. & ex 4. uſque ad Paſcha anni Iuliani 46. quo ipſo anno Chriſtus circunciſus eſt.

Quæ ſi verè dicta ſunt à Ioſepho, planè favet noſtræ ſententiæ; ſed iis conſentanea non ſunt quæ ſupra allata ſunt ex eodem Ioſepho ſcribente Ieroſolymorum excidium à Soſio factum, M. Agrippa & L. Gallo Conſulibus. Hic enim eorum Conſulatus cum anno Iuliano 9. concurrit, & 8. Imperij Auguſti inchoat, & eſt ante Chriſtum & primum Æræ communis, quo mortuus eſt Herodes, non 34. ſed 37. de quo adhuc poſtea agendum erit hujus capitis Paragrapho quinto.

Ioſephi fides inconſtans in annis Herodis.

Malo ergo hac in parte Ioſephi à ſeipſo diſcordiam annotare, & eà teſtimonij ipſius fidem infringere, quàm ab eo quidquam in meum favorem elicere; & modò mihi ſufficit Autores qui in ejus teſtimonio ſolo ſuam de Chriſti Nativitate ſententiam, à communi Eccleſiæ Æræ computatione alienam, fundant, de fide dubia ſui teſtis admonere. Contra quem omnes Faſti vel in eo produci poſ-

ſunt

ſunt, quòd à Conſulatu Ciceronis uſque ad Conſulatum Agrippæ ponant annos 26. duntaxat. Ioſephus autem completos 27. ab eodem die ad eundem prorſus diem jejunij menſis tertij.

A Conſulatu Ciceronis ad Conſulatum Agrippæ anni 26. non 27.

Vnde clariſſimè refelles quod quidam ad Ioſephi defenſionem aſſerunt, eum numerare annos inchoatos pro integris; & ubi annos Conſulum cum annis Herodis componit, utrumque terminum includere: quo modo volunt à captis Ieroſolymis à Pompeio, Cicerone Conſule, ad eadem capta à Soſio ſub Conſulatu Agrippæ, 27. annos incluſo utroque Conſulatu numerari. Id enim etiamſi in eo exemplo dici poſſet utcumque, in aliis tamen multis locum habere non poteſt; & fruſtra numerandi ſunt anni 27. ubi præcisè ſunt 26. duntaxat, ne uno quidem die redundante.

Annos inchoatos pro integris Ioſephus non uſurpat.

Et verò ſi annus 9. Iulianus, & Conſulatus Agrippæ quo capta ſunt Ieroſolyma à Soſio, à Ioſepho numeraretur pro primo anno regni Herodis & 42. item Iulianus & Conſulatus Calviſij Sabini pro 34. & ultimo regni Herodis, incluſo, ut illi volunt, utroque termino, & inchoatis numeratis pro integris; inter initium regni Herodis captis Ieroſolymis menſe tertio circa æſtatem anni illius Iuliani 9. & finem regni & vitæ Herodis, qui contigit ante Paſcha; numerandi eſſent triginta quinque anni, cùm tamen non niſi triginta quatuor interjecti ſint: ſed ne quidem 33. deficientibus, videlicet à nono Iuliano ſeu Conſulatu Agrippæ ſex menſibus, & à 42. Iuliano ſeu Conſulatu Calviſij Sabini, qui cum illo concurrit, novem circiter menſibus. Quomodo ergo Ioſephus regnum Herodis extenderet ad 34. poſt captam Ieroſolymorum urbem à Soſio, quod ne quidem ad tres & triginta integros perveniret? Quia ergo dici non poteſt Ioſephus ſic numerare, ex ejus mente conſequitur regnum Herodis & vitam poſt 34. annos, quos ipſe numerat à captis Ieroſolymis, finem accepiſſe non in anno 42. Iuliano, ſed in 43. in quo tamen nec Eclipſis Lunæ contigit, nec Autores nobis contrarij

contrarij Ioſepho conſentiunt.

Verùm iidem Autores, contra quos agimus, afferunt ex Ioſepho tria alia, quæ noſtræ ſententiæ de morte Herodis anno Iuliano 46. adverſari putant, & favere potiùs anno 42. videntur.

Archelaus Romæ Caium videt.

Πρῶτόν τι καθεζόμενον. *Ioſeph. Antiq. lib.* 17. *cap.* 11.

Caius Romà abſens ante annum Iulianum 44. finitum.

Primum eſt, Archelaum defuncti recèns Herodis filium Romam ſtatim ſeditione in Feſto Paſchatis ſedata profectum, ut paternam hereditatem & tabulas teſtamenti in ſuum favorem à patre conditi, Auguſti autoritate firmaret, Caium Cęſarem Auguſti nepotem in concilio primum locum tenentem vidiſſe, cùm tamen certum ſit ex Hiſtoria Romana Caium ante finitum annum Iulianum 43. Romà exceſſiſſe, & eò nunquam poſtea rediſſe. Vnde fit neceſſariò conſequens mortem Herodis & profectionem Archelai ante 46. Iulianum contigiſſe.

Δεκάτῳ δὲ ἔτει τῆς ἀρχῆς Ἀρχελάου. *Ioſeph. ibid. & Excid. lib.* 2. *cap.* 11.

Archelaus relegatus anno Iuliano 51.

Alterum eſt, eundem Archelaum novem duntaxat annos regnaſſe, & decimo Viennam in Gallias relegatum, quod ait Dio factum Coſſ. Marco Æmilio Lepido, & L. Arruncio; id eſt, anno Iuliano 51. à quo ſi 9. integros tollas, deſcendis ad 42. qui proinde fuit annus ultimus Herodis, & primus Archelai.

Τελευτᾷ τὸν βίον εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς, ἡγησάμενος δὲ αὐτὸς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα. *Ioſeph. Antiq. lib.* 18. *cap.* 6.

Philippus 37. annis regnat.

Tertium eſt de annis Philippi Herodis filij, quem ſcribit Ioſephus regnaſſe annos ſeptem & triginta, mortuum verò anno 20. Tiberij, qui in Iulianum 78. incurrit, à quo ſi 36. detrahantur, relinquitur 42. Iulianus morti Herodis, & initiis Tetrarchiæ Philippi, conveniens exactiſſimè.

Hæc aliquaque ejuſdem modi Keplerus, Petavius, & alij, qui cum iis volunt ex perfecta conſenſione Ioſephi, & Hiſtoriæ Romanæ, ac legibus Aſtronomiæ, Herodem anno Iuliano 42. vità functum.

Sed hæc omnia iiſque ſimilia Ioſephi teſtimonia eo ipſo fide carent, & caduca ſunt, quòd, ut ſupra jam oſtendimus, ab eodem Ioſepho convelluntur aliis teſtimoniis, quibus Herodem natum annos 15. aſſerit, quando Galilęæ Pręfecturam accepit anno Vrbis conditæ 708. poſt ſubjugatam à Iulio Cęſare Ægyptum; & quod de Ieroſolymis à Soſio

Soſio captis pugnantia loquitur. Quare non eſt quòd Ioſephi autoritate hac in parte quis uti poſſit: de qua adhuc inferius agendum erit. De aliis Autoribus quid de Herodis morte ſentiant, modo breviter dicendum eſt.

Paragr. 5.

Euſebius mortem Herodis collocat anno ipſius Herodis regni 37. Auguſt: 47. nondum finito in Paſchate, Olymp. 195. anno 4. nondum quoque finito. Vbi annus Olympiadis cum anno Auguſti non convenit. Annus Olympiadis 4. in Paſchate cadit in annum Iulianum 50. Æræ communis quintum, cui Scaliger in Græco exemplari apponit Conſules Cinnam & Valerium ſatis aptè.

Euſebij ſententia de morte Herodis.
In Chronico.

Ipſe vero Scaliger mortem Herodis ponit anno 45. Iuliano, quarto ſcilicet à Conſulatu Sabini & Rufini, qui & defectionem Lunæ ponit eo anno 9 Ianuarij, quam putat à Ioſepho notatam; de qua poſtea diſſeremus.

In Anim. in Chron. Euſeb. num 2019.
De emend. Temp. lib. 5.
Scaligeri.

Georgius Syncellus mortem Herodis confert in annum mundi 5505. in margine & textu ad annum ab Incarnatione 4. id eſt, Æræ communis 3. & de eo ſolum ait conformiter ad ſententiam Ioſephi, vixiſſe illum annis 70. Iudæis imperaſſe 37.

Ἡρώδης τέθνηκεν ὁ ζήσας ἔτη ο΄, ὧν ἐβασίλευσεν Ἰουδαίων λζ΄.
Et in margine Ἡρώδου θάνατος τῷ ιθ΄. ἔτει.
Syncell. ad an. Incarn. 1. & 4.
Syncelli.

Vnde in Tabella ad annum Chriſti 5. nondum inchoatum ab Incarnatione, ponitur Archelaus Rex Iudæorum. ſecundus.

Ioannes Lucidus vult Herodem habuiſſe in regno annum 32. cùm legitime regnare cœpit, & tunc Auguſtum egiſſe in Imperio 42. quo tempore Chriſtus conceptus eſt; & poſt hoc tempus Herodem ſupervixiſſe quinque annis, & annos 37. omnino regnaſſe.

In Chron l. 2. c. 14.
Ioannis Lucidi.

Baronius Herodis mortem collocat anno Æræ Chriſti 8. Auguſti 49.

Baronij.
In Appart. num. 116.
Ad an Chriſti 8. *n.* 10.

Codomanus ponit anno Auguſti 44. mortem Herodis, eúmque annum conſignat Eclipſi Lunæ 8. Novembris: at voluit dicere Ianuarij; cujus ait meminiſſe Ioſephum cap. 8. lib. 17. & ponit Herodis annum 70. à captis verò Ieroſolymis & dominatione totali Iudeæ, 37.

Ad annum 4143.
Codomani.

Paulus Foroſempronienſis docet Herodem mortuum

In Paulina part. 2. lib. 11. cap. 1.

Pauli Foroſempronienſis Epiſcopi.

eodem anno quo Chriſtus natus & circunciſus eſt, idque probat 5. argumentis, magna ex parte petitis ex Collatione annorum Herodis & Auguſti; & ubique concludit 37. annum Herodis incidere in 42. Auguſti: ubi Imperium Auguſti non a morte Iulij, ſed à primo Auguſti Conſulatu orditur.

PARAGRAPHVS II.

VARIÆ SENTENTIÆ CIRCA ANNVM Nativitatis Chriſti.

Ex variis ſententiis de morte Herodis, variæ ortæ de Chriſti Nativitate.

I. EX hac tanta varietate ſententiarum circa annum quo Herodes vitâ functus eſt, nata eſt fere ſimilis diverſitas in anno Natali Chriſti deſignando, cùm Autores omnes id præ oculis in definienda Domini Nativitate ſemper ut certum fixúmque haberent: ***Cùm natus eſſet IESVS in diebus Herodis Regis.*** Quare quiſque collocata Herodis morte in ea annorum ſede quæ ei magis placebat, Chriſti Natalem proximè ante ſtatuit, quantùm ei commodum, ſalva Evangelica & hiſtorica fide, viſum eſt.

Matth. 2.

Cùm igitur Autores quos ſupra diximus autoritate Ioſephi nixos ponere obitum Herodis in anno Iuliano 42. aut 43. non poſſint tardiùs ponere annum Chriſti Natalem, nec eum jungere cum primo ante Æram communem, qui eſt Iulianus 45. anticipant eandem Æram, alij quatuor annis, & ponunt Chriſtum natum 25. Decembris anno Iuliano 41. deſinente, ut Dekerius exiſtimat, ante communem Æram 5. Coſſ. Auguſto 12. & Sulla. Ita ut in ſententia Dekerij primus annus Chriſti iniens à Circunciſione anni Iuliani 42. pręcedat annis quatuor primum communis Æræ, & primus Æræ communis ſit Chriſti 5. Alij 5. annis, ut Keplerus, qui uno etiam anno Dekerium pręvenit, & ponit primum Chriſti Iulianum 41. ante Æram

Variæ ſententiæ de anno Natali Chriſti.

Primus Chriſti pręcedit primum Æræ communis DeKerio 4. annis, eſtque Iulianus 42.

Epiſt. 16. *Eclog. Chron. pag.* 108. *& ſeqq.* Keplero quinque, eſtque 41. Iulianus.

Digitized by Google

Æram communem quintum, ſive Chriſtus natus fuerit 25. Decembris anni Iuliani 40. ſive 6. Ianuarij Iuliani 41. quod ipſe ſub dubio relinquit. Et ita primus Æræ communis Keplero convenit cum anno Chriſti 6. Iuliano 46. ut manifeſtè patet ex Tabella quam in Epiſtola 16. delineavit, & ex libro de anno Natali Chriſti, ubi aſſerit 46. Iulianum eſſe primum Æræ communis, & Chriſtum natum quinque ſolidis annis ante principium Æræ hodiernæ.

Cap. 5.

Cap. 15. in fine & in Perorat.

At Marcus Antonius Capellus diſertè ponit Chriſtum natum in fine anni 40. Iuliani, & primum Chriſti componit cum 41. Iuliano, & primum Æræ communis cum ſexto Chriſti, & Iuliano 46. quæ eſt ipſa pura Kepleri ſententia. Quamobrem benevolè excuſanda eſt manifeſta hallucinatio Petavij in eodem uno capite nobiliſſimi Operis de doctrina Temporum: ubi, cùm initio dixiſſet Keplerum Dekerij ſententiæ unum adjeciſſe annum, & Iuliano 42. Lęlio Balbo & Antiſtio Vetere Coſſ. Chriſti ortum attribuiſſe: ſequenti paginà ait Marcum Antonium Capellum ad Dekerij computum addidiſſe biennium, & docuiſſe vulgarem annorum Chriſti numerum à vero Natali ſex annis abhorrere, ac putaſſe Chriſtum natum Coſſ. Lęlio Balbo, & Antiſtio Vetere, anno Iuliano 40. Et paucis interjectis lineis, repetit Capellum ultra Dekerianam Epocham Natalem Chriſti biennio antevertiſſe, Keplerianam verò uno anno. In quibus patens eſt error. Iidem enim Conſules Lęlius Balbus, & Antiſtius Verus, & idem annus 40. Iulianus, tam à Capello quàm à Keplero aſſignati Nativitati Chriſti, referente ipſo Petavio, ipſius lapſum oſtendunt, & demonſtrant unicam in hoc eſſe amborum ſententiam, etiamſi in aliis, & maximè in anno Olympiadis, diſſentiant. Rectè porro idem Petavius utrumque refellit, & oſtendit ſine cauſa Keplerum à Dekerio diſcedere, & Capellum neque ſibi, neque veritati conſentire.

Vt & Capello.

Diſſert. de Cœn. Chriſti ſuprema, cap. 5. p 128. & in Tabella pag. 129.

Petavij lapſus excuſandus

Lib. 12. cap. 6.

11. Ego verò hoc precipuè Capello objicio, quòd

Capellus annos Iulianos cum Olympiadibus minùs aptè connectit.

annum Nativitatis Chriſti, iulianum ut putat 40. cum primo Olympiadis 194. conjungat: ubi manifeſtè biennio deſcendendo aberrat. Quadrageſimo enim anno iuliano, proximo ante Biſſextilem, in æſtivo Solſtitio, non primus Olympiadis 194. ſed tertius Olympiadis 193. cœptus eſt, biennio ante Olympicorum ludorum celebritatem. Sicut enim primus iulianus anni Biſſextilis rationem habuit, & in æſtivo Solſtitio conjunctus eſt cum initio anni 4. Olympiadis 183. uno anno ante celebrationem ludorum, quæ ſemper fiebat ineunte primo anno cujuſque Olympiadis. Ita 40. iulianus proximus ante Biſſextilem, concurrere debet in æſtivo Solſtitio cum 3. Olympiadis 193. duobus ante initium Olympiadis 194. Quæ manifeſta ſunt ex dictis ſuperiùs, de primo iuliano cum anno 4. Olympiadis 183. collato.

Lib. 1. cap. 2. & hoc lib. 3. cap. 2.

Ex hoc porro errore Capelli, & falſa connexione annorum Iulianorum cum Olympiacis, plerique alij & majores & graviores in tota ejus Chronologia naſcuntur; de quibus modò ſatis.

Lib. 1. Strom.
Clementi Alexand. natus Chriſtus Iuliano 43. Auguſti 42.

III. De ſententia autem aliorum Autorum circa annum Nativitatis Chriſti, hæc præ cęteris obſervanda ſunt. Clemens Alexandrinus natum vult Chriſtum anno 28. à devicta, & cenſui Romano ſubjecta Ægypto. Is fuit annus Auguſti 42. iulianus 43. ut idem Clemens confirmat, dum à Iulio Cęſare ad mortem Commodi annos numerat 236. & menſes ſex, & à Nativitate Chriſti ad eandem Commodi mortem, annos 194. His enim ſublatis à 236. relinquuntur anni intermedij à Iulij obitu ad Chriſti Nativitatem 42. de regno Auguſti.

Euſebio ſimiliter.
In Chron. & lib 1. hiſt. Eccl. cap 6. & lib. 10. de Præp. Euangelica.

Euſebius quoque Chriſtum natum ponit anno Auguſti Imperatoris 42. cum quo componit Olympiadis 194. annum tertium: at eorum annorum concurſus legitimus non eſt; nam cum 42. Auguſti, non tertius illius Olympiadis, ſed ſecundus concurrit; & Iulianus 43. cum Conſulibus Cornelio Lentulo, & M. Valerio Meſſalino, menſe Decembri, quo Chriſtus eſt natus. Vbi Scaliger in Chronico

Gręco

Grӕco ponit annum eundem quidem Auguſti 42. & Olympiadis 194. tertium. Sed Conſules facit C. Cӕſarem Octavianum 13. & M. Plantium Silvanum, qui cum 43. Auguſti menſe Decembri conjungendi eſſent.

Divus Irenæus Chriſti Nativitatem aſſignat anno 42. Auguſti, Actiaco 28. Herodis 36.

Lib. 3. *cap.* 25. Irenæo & Epiphanio.

Et Sanctus Epiphanius ſimiliter natum Chriſtum ponit 42. Auguſti anno, ipſo Octavio 13. & Silvano Coſſ. die 6. Ianuarij, anno 28. poſtquam Iudӕa facta eſt Romanis vectigalis, anno Herodis 33. ex 37. quibus regnavit.

Γεννᾶται μὲν γὰρ ὁ Σωτὴρ τῷ τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει Αὐγούστου βασιλέως τῶν Ῥωμαίων. *Epiph. hær.* 51. *n.* 16. 22. 24. 29.

Divus Hieronymus Chriſtum natum docet anno Auguſti 41. Actiaco 28.

Hieronymo 41. Aug. *In cap.* 2. *Iſaiæ.*

Severus Sulpitius anno Herodis 33. Sabino & Rufino Conſulibus. Is annus eſt Auguſti 41. Oroſius anno Auguſti 42. ab Vrbe condita 752. 25. Decembris. Caſſiodorus Faſtor. Conſ. lib. 2. Marianus Scotus in Chron. Victorinus, Baronius in Apparatu, & Scaliger, Epiphanium & Euſebium ſequuntur, in anno 42. Auguſti, Iuliano 43. Chriſti Nativitatem ponentes, & Æram communem in primo Chriſti anno duobus annis prӕveniunt, primum Chriſti ponentes ſecundum ante Æram communem, & primum Æræ communis tertium Chriſti; primum illum Chriſti Olympiadis 194. anno ſecundo, ſignantes Conſulibus Lentulo & Meſſalino.

Severo Sulpitio 41. Auguſti. *Lib.* 2. Oroſio. Caſſiodoro, Baronio, & aliis, Auguſti 42.

In eadem ſententia ſunt Laurentius Codomanus in Annalibus ſacræ Scripturæ, Guillielmus Langius de annis Chriſti, & Voſſius de Natali anno Chriſti, ubi ait, Neminem ante Bedam Æram Chriſtianam cœpiſſe ab anno Iuliano 46. Neminem ante Dionyſium Exiguum fixiſſe Chriſti Natalem in exeuntem Iulianum 45.

Ad an. 4141. *lib.* 2. *cap.* 4. *ib.* 42.

Onuphrius, Mariana, Salianus, & Pererius uno ſolo anno Æram communem prӕveniunt, Chriſti Nativitatem collocantes in anno Iuliano 44. exeunte, & primum Chriſti in 45. ineunte, Coſſ. Octaviano Auguſto 13. & M. Plautio Silvano, 42. Auguſti fluente.

Onuphrio, & aliis, Auguſti 43.

Syncellus anno Auguſti 43. Coſſ. Sulpitio Camerino, &

Syncello.

Digitized by Google

Κατὰ τὸ ἔτος μγ. τοῦ Αὐγούστου. Syncel. in Chron. ante an. Chriſti primum.

& C. Poppæo Sabino, ut ex ſincerioribus, inquit, & antiquioribus exemplaribus Hippolyti, Aniani, & Maximi habetur. Is eſt Iulianus 44. ante Æram communem 2. qui alios Conſules habet.

Et Hervuarto idem Auguſti 43. *Cap. 1. 247. 264.*

Georgius Hervuartus in eadem ſententia eſt, quam ex eo confirmat, quod annus Incarnationis a pleriſque uſurpatus ſit pro primo Chriſti, & ex eo quod Chriſtus natus ſit die Dominico.

Atque hæ fere ſunt opiniones Autorum qui ab Æra communi recedunt in anno Nativitatis Chriſti; quæ ut clarius explicentur, & validius refellantur, commodè ad tres ordines ſeu claſſes revocari poſſunt.

PARAGRAPHUS III.

PRIMA CLASSIS.

De Anno Iuliano 44.

Sententia ponens Chriſtum natum anno Iul. 44. refellitur.

ONUPHRIUS, & quidam alij, quos paulò ante nominavimus, Chriſtum natum volunt anno Iuliano 44. Auguſti 43. Coſſ. Octaviano 13. & Silvano. Sed ea neque fundamentum habet in autoritate Antiquiorum, neque in ulla ratione probabili; & ſolùm nixa videtur in eo quòd ponant Chriſtum paſſum 34. ætatis anno, & proinde natum uno anno priùs quàm Æra communis Nativitatem ejus conſtituat. In quo manifeſtus eſt error, qui nec defendi à ſuis Autoribus poteſt.

In Syncello.

Georgius enim Syncellus in Conſulibus manifeſtè errat, ſibique in eo contradicit, quòd, ut ſupra vidimus, Chriſtum ponit mortuum 33. nondum finito ætatis anno, Olympiadis 202. anno 4. in Paſchate, qui proinde naſci debuit Olympiadis 194. anno 4. menſe Decembri, interjectis 32. annis, id eſt, octo Olympiadibus cum paucis menſibus. Hic autem annus quartus convenit 44. Auguſti,

anno

non 43. Iuliano verò 45. non 44. Onuphrius quoque Chriſtum ponens paſſum anno ætatis & æræ communis 34. (ſed Olympiadis 202. quarto, ſicut nos ipſi ponimus) uno anno citius Nativitatem collocat, ſub Conſulatu Auguſti 13. & Silvani, anno Auguſti 43. Iuliano 44. Olympiadis 194. anno 3. Sed in eo errat, & errorem bene reprehendit Scaliger, in eo poſitum quod annus 4. Olympiadis 202. non conveniat cum anno 34. æræ com. in Paſchate, ſed cum 33. Quem verò hic annum addit Onuphrius tollit circa Imperium Probi, ut obſervat Petavius. Et Onuphrio. *De emend. Temp lib 6. De doct. Temp. lib. 11. cap. 27.*

Quantum autem ſpectat ad mortem Herodis, Autores hujus claſſis non magnopere contendunt quomodo eam cum annis Chriſti concilient, modò poſt Chriſtum natum alij propiùs, alij longiùs eam collocent; nec in examinanda Ioſephi ſententia multum laborant: quamvis eorum quidam cum Ioſepho 70. ei vitæ annos, regni 37. tribuant, nihil preterea curantes quo anno Olympiadum aut Imperatorum illi initium aut finem capiant.

Quanquam Hervuartus diſertè Herodi tribuat annos vitæ 70. regni verò à captis Ieroſolymis 37. ſed eum mortuum ponit anno Æræ communis 7. in quo ponit Eclipſim à Ioſepho notatam, die Februarij 20. Quæ non ſatis conveniunt cum iis quæ idem Autor aſſerit de morte Herodis eo anno quo Caius Romæ Conſulatum gerebat, qui fuit Æræ communis & Chriſti primus. Vnde quod ipſe pluribus contendit annum primum Chriſti numerandum ab Incarnatione, & eum qui ab ejus Circuncíſione exordium ducit, non primum æræ vulgaris, ſed ſecundum appellandum. Quod inquam is Autor id contendit, & falſum eſt, & multa falſa ab eo inducta involvit, de annis Iulij, Auguſti, & Tiberij, de Conſulatu duorum Geminorum, de annis Vrbis conditæ, & Olympiadum, contra hiſtoriæ fidem, & Eclipſeon certitudinem: quæ doctiſſimè Petavius refutavit in compendio doctrinæ contentæ in nova quidem, at non vera illius Autoris Chronologia; de quo jam ſepe egimus, & modo adhuc ex eo paucis oſtendimus quòd

Et in Hervuarto. *Nova Chron. cap. 149.*

Cap. 151.

Cap. 247.

De doct. Temp. lib. 11. cap. 3.

Digitized by Google

Nou. Chron. cap. 105. quòd annos Iulianos peſſimè conjungat cum annis Æræ communis & Chriſti, & 1. Iulianum velit eſſe ante 1. Æræ com. & Chriſti, 40. & ad ingreſſum Auguſti ex Apollonia redeuntis anno Conſulatus Hirtij & Panſæ, Vrbis conditæ 710. defectionem Solis ponat inſignem, cujus diem non exprimit, & annum velit ante Chriſtum 38. idque perperam.

Cap. 145.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

SECVNDA CLASSIS.

De Anno Iuliano 43.

In hac Claſſe ſunt

I. SECVNDA Claſſis eſt eorum, qui Chriſti Nativitatem in anno Iuliano 43. Auguſti 42. conſtituunt, inter quos primus numero & autoritate poni ſolet Clemens Alexandrinus, in cujus ſententia nihil occurrit reprehendendum, & id laudandum quod in favorem noſtræ ſententiæ poſtea ponetur. Quod idem fere dicendum de Irenæo, niſi quod opponi ſolet eum Chriſtum feciſſe longè ætate ſuperiorem, & paſſum ſcripſiſſe poſt annum ſuæ ætatis 50. quod tamen ſcriptis Irenæi alienâ manu ſuppoſitum Illuſtriſſimus Annalium Scriptor contendit.

Clemens Alexandrinus.

Sanctus Irenæus *Lib. 2. cap. 39.*

Baron. ad ann. 34. num. 142.

Euſebius.

Quantùm ſpectat ad Euſebium, is ſanè cum Ioſepho in exordio & fine annorum Herodis non convenit, & longè abeſt à concordia cum hiſtoria Romana; ducit enim principium regni HERODIS ab 11. Auguſti, Iuliano 12. Olympiadis 186. anno tertio, & finem ſtatuit regni & vitæ Herodis, Auguſti 47. Olympiadis 195. anno 4. communis Æræ 4. & Iuliano 49. ante Paſcha: quia, ut ſupra dictum eſt ex Ioſepho, ARCHELAUS paulò poſt patris mortem ſeditionem populi in Paſchate ortam ſedavit.

Verùm ipſe Euſebius viderit quomodo ſecum ipſe conveniat, qui anno Auguſti 5. Iuliano 6. Olympiadis 185. anno

anno primo ponit Antigonum occiſum, & regnum Iudęæ à Romanis Herodi alienigenæ traditum: quod tamen non niſi anno Iuliano 9. factum contendunt alij, & Petavius ſex ſeptémve annis Euſebij Chronologiam labare ait, & mirificè annos Herodis conturbare. De doct. Temp. l. 11. c. 2.

Quòd autem Euſebius Chriſti Natalem annum ponat 42. Auguſti, & Paſſionis, ut ſupra oſtendimus, 19. Tiberij; inde fieret, ut ei 35. vitæ anni per tres menſes inchoati tribuendi eſſent: à quibus ſi detrahantur tres anni Prędicationis, quos ſolos Euſebius admittit cum tribus quoque menſibus, ut ſupra docuimus, reſtaret pro anno quo Chriſtus baptizatus eſt annus Chriſti 32. per paucos dies inchoatus: quod longè abeſſet ab ipſa Euſebij ſententia, quæ annum Chriſti 30. deſignat initio triennalis Prędicationis Domini, quæ Baptiſmum ſecuta eſt, ut ſupra quoque demonſtravi. Duobus igitur annis Euſebius verum Chriſti Natalem pręvenit, & à ſeipſo diſſentit: in quo vitio ſunt ij quoque omnes qui Euſebium ſecuti ſunt.

Qui duobus annis verum Chriſti Natalem pręvenit.

Id maximè patet in Sancto Epiphanio, quem docuimus triginta & tres annos non integros Chriſti vitæ tribuere, & in ejus Baptiſmo 30. vitæ annum non completum aſſerere: & licet in multis peccet circa ordinem Conſulum, & diem Nativitatis Chriſti, quem ponit in Epiphania 6. die Ianuarij: non peccat tamen in anno Chriſti trigeſimo tertio in Paſſione inchoato, nec in anno 30. Baptiſmi pariter inchoato poſt 15. Tiberij: & licet quoque peccet in die Baptiſmi, quem ponit menſe Novembri, poſt Paſcha anni ætatis Chriſti & Æræ communis 30. & conſequenter in tribus ſolùm Paſchatis; ſuppoſitâ tamen rei veritate, & poſito Baptiſmo ante Paſcha illius anni, quatuor Paſchata & tres annos cum aliquot menſibus Prędicationis libens admittet, & agnoſcet ſe biennio verum Chriſti Natalem incautum anticipaſſe, ponendo illum 42. Auguſti, quem ſupra docuimus 44. poni debere.

Vt & Epiphanius.

II. De Baronio hoc ſolùm dico, parum eum attendiſſe ad annum & diem Paſſionis Chriſti, quando ad

Et Baronius.

Digitized by Google

annum Nativitatis ſe determinavit, ſequendo Euſebium in anno 42. Auguſti, & non ſequendo in 19. Tiberij, deſcribendo textum, & non corrigendo errorem. Et ſanè cùm ponat Paſſionem Chriſti anno 18. Tiberij, anno 34. Æræ communis, biennio manifeſtè aberrat: trigeſimus enim ille quartus Æræ communis habet in Paſchate annum Tiberij 20. nondum finitum. Item cùm ponit Conſulatum duorum Geminorum anno Æræ communis 31. (quo vult Chriſtum baptizatum) biennio aberrat: inierunt enim illi Conſulatum Calendis ipſis Ianuariis anni 29. 15. Tiberij, per quatuor menſes & aliquot dies inchoato, anno Vrbis conditæ 782. imminente, ut ſupra ex Velleio oſtendimus.

Ad an. 34. num. 149. qui biennio aberrat in Chriſti Paſſione.

Num. 143. Et ad an. 31. num. 1. In Baptiſmo.

Quando ergo Chriſti Nativitatem poſuit menſe Decembri in 42. Auguſti, in fine Conſulatûs Lucij Lentuli & Meſſalini, biennio quoque aberravit anticipando Nativitatem Chriſti, quam ſub annum 44. Auguſti in fine Conſulatûs Cornelij Lentuli & Piſonis; biennio poſteriùs ponere debuit.

In Apparatu. Et ad An. primum. Et in Nativitate.

Rectè quidem Cardinalis Illuſtriſſimus, & optimè de Eccleſia meritus, annos Chriſti & Æræ communis pariter jungit in toto Annalium corpore; ſed minùs aptè eorum caput, ſeu Nativitatem Chriſti cum Conſulatu prędicto Lucij Lentuli & M. Meſſalini biennio priùs quàm oportebat componit. Conuenientiſſimè feciſſet, ſi Chriſti Nativitatem poſuiſſet in fine Conſulatûs Cornelij Lentuli & Piſonis, anno 45. Iuliano, 44. Auguſti nondum finito. Sic enim rite omnia conſtituiſſet, & anticipationem biennij, quam diu perperam retinuit, & poſtea correxit, ſapienter evitaſſet.

Patet manifeſtè hæc Baronij hallucinatio, pręter ea quæ jam diximus, in poſtrema vaſtatione Ieroſolymorum, quæ certiſſimè contigit anno Chriſti & Æræ communis 70. Cyclo Lunæ 14. Solis 23. Littera Dominicali G. die Sabbati 8. Septembris, anno 2. Veſpaſiani; & eam tamen Cardinalis ponit anno Chriſti 72. idque ideo, quia primum Chriſti

Digitized by Google

Chriſti annum biennio citiùs quàm oportebat collocavit. Quo modo initium Imperij Trajani ponit anno Chriſti 100. cùm ponere debuiſſet 98. & quædam alia contra fidem hiſtoriæ certiſſimam peccavit, ut rite obſervavit & ſapienter monuit P. Philippus l'Abbe in Synopſi Conciliorum in fine 3. æræ Chriſti ſeculi.

Sed hunc errorem alio correxit errore, cùm Probi Imperatoris annos regni ſex, duobus minuit, & duos Conſulatus Marci Aurelij Probi Imperatoris tertium & quartum de ſuis Faſtis eraſit. Sicut ergo cum vitio duos in Chriſti Nativitate annos ſupra debitum apposuerat; ita hic duos alios à debito abſtulit, & ſe ab errore viæ ad viam alio errore revocavit, & annos Chriſti rite deinceps numeravit, & rite cum annis Æræ communis & aliis ſociavit, cùm malè inchoaſſet in anno Iuliano 43. Baronius errorem errore correxit.

Quòd autem quarto & triceſimo anno tam Æræ communis quàm ætatis Chriſti Paſſionem locat, & non triceſimo quinto, ut poſtularet anticipatio biennij; id ex eo oritur, quòd Baptiſmum ponat in anno ætatis Chriſti 31. 15. Tiberij, & inde ſolùm tres annos Predicationis adjiciat cum paucis menſibus; hinc enim fit, quod ipſe contendit, ut Chriſtus ſit paſſus anno ſuo & Æræ communis 34. Sed error extitit in eo quòd Baptiſmum poſuit in anno 31. qui non potuit eſſe tardiùs quàm in 30. ut nec annus 15. Tiberij ſe extendere ultra diem Auguſti menſis 19. anni 29. cùm fuerit inchoatus eodem die decimo nono Auguſti, anno 28. Æræ communis.

Sed hic univerſus error, ut antea monui, inde ortus videtur, quod in aſſerenda Chriſti Nativitate plus autoritati Euſebij, quàm examini tribuit; & minùs attentè annum, menſem & diem Paſſionis conſideravit, quàm errorem verſionis in Euſebio, qui error Paſſionis annum deſignat in anno Tiberij 18. Et minùs attentè Euſebij errorem ſequutus eſt.

Vnde ſic in ſuis ratiociniis fallitur ut de eo anno Tiberij 18. Chriſti ut putat 34. ſcribat quaſi colligens vim totius ſuæ ſententiæ, quotquot dixerunt Chriſtum natum *Ad an. 34. n. 149.*

Digitized by Google

42. Auguſti anno, ac paſſum 18. Tiberij, quorum ingens eſt numerus, ſuæ ſententiæ conſentire: contra vero eos diſſentire, qui parum conſiderantes quando natus eſt, & baptizatus Chriſtus, triginta duos annos & tres menſes tribuunt ejus ætati. Hæc ibi de anno Paſſionis, aliaque nonnulla eodem vitio Nativitatis anticipatæ tincta; cujuſmodi eſt inter alia ſententia Phlegontis ab Euſebio recitata de Eclipſi Solis in morte Chriſti, de cujus legitima deſcriptione fusè ſuperiùs actum eſt: quam Baronius leviſſimè percurrit.

Num. 143. De menſe verò, & menſis die, quo Paſſio contigit, nullum planè adhibet examen, & propoſitâ ſolùm opinionum varietate ait, ſe nihil quod contrariis objectionibus vacillet velle definire, & Tabulis Aſtronomicis non ſibi conſentientibus, viros earum facultatum conſultiſſimos deſperatione ſuperatos, certum quid affirmare impoſſibile ratos, rem inabſolutam aliis reliquiſſe. In quo ipſe non ſolùm dubitationem, ſed & ignorantiam profitetur.

P. Philippæus partim ritè, partim minùs. *Cap.* 4. *v.* 6.

De opinione P. Philippæi dicendum fere ſimiliter. Is enim in Oſeam rectè ſcribit Chriſtum paſſum Olympiadis 202. anno 4. ſed minùs exactè Tiberij anno 18. rectè quoque baptizatum anno 30. inchoato ætatis, non integris quatuor annis prędicaſſe, non rite tamen anno 15. Tiberij, ut nec rite natum anno tertio Olympiadis 194. triginta quatuor annis antequam pateretur.

Codomanus, Langius, & alij biennio aberrant.

De Codomano, Langio & aliis qui nobiſcum ponunt Chriſtum paſſum anno 33. Æræ communis, & biennio ante primum Æræ communis natum volunt, dicendum ſolùm eſt eos Euſebij opinionem circa Nativitatem Chriſti tenuiſſe de 42. Auguſti anno, nec rationem ullam aliam habere cur communem Æram biennio anticipent.

Scaliger bene ſentit de anno Paſſionis, de anno Nativitatis non bene.

III. De Scaligero hoc modò dicendum habeo, cùm bene ſenſiſſet de Chriſti Paſſionis anno, non ita bene de anno Natali ſtatuiſſe. Vbi ſane in multis & graviter peccaſſe videtur. Et primùm quidem in eo, quòd diem à communi

Digitized by Google

communi ſenſu Eccleſiæ, & ab omni fere antiquitate receptum 25. Decembris non admittit, & ſine fundamento menſis Septembris diem incertum inducit, multaque ut ſuam illam ſententiam perſuadeat, & inania, & falſa, & non uſitata apud Iudæos circa vicem Abia, & Miniſtrorum Templi veteris ſucceſſionem, fingit; quæ doctè refellit Petavius. Et verò Scaliger male Epiphanium ſecutus ſcribit Chriſtum eodem fere anni tempore natum, & poſtea baptizatum circa Æquinoctium Autumnale; idque probat ex eo quòd tempore Nativitatis Chriſti Paſtores noctu ſub dio ad pecudum cuſtodiam in agro vigilabant; quod inquit brumalibus diebus non convenit.

In notis ad finem lib. de emend. Temp.

Et circa menſem & diem.

Multa falſa & inania de vice Abia aſſerit.

De doct. Temp. lib. 12. cap. 7.

Et de Æquinoctio Autumnali.

Sed hæc quoque commentitia ſunt, & quod Epiphanius Chriſtum ait baptizatum menſe Novembri, id ab aliis fere omnibus rejicitur, & ſine fundamento aſſeritur; & Epiphanius natum Chriſtum ait menſis Ianuarij die 6. quo die ipſe putat Dominum aquam in vinum vertiſſe: in qua ſententia de Chriſti Nativitate omnes fere Epiphanium deſerunt: & communis ſenſus Eccleſiæ & aliorum antiquorum eſt Chriſtum natum 25. Decembris, baptizatum 6. Ianuarij.

Nec inſolens videri debet pecudes noctu ſub dio hyeme verſari, in Iudæa præſertim regione non adeo frigida, quando videlicet ſerena aliqua dies vel nox occurrit, cùm id interdum fieri in regionibus longè magis Septentrionalibus contingat; ut Caſobonus, Keplerus, & Voſſius obſervarunt, qui propterea contra Scaligerum contendunt veterem Eccleſiæ definitionem circa Natalem Chriſti in Solſtitio Hyberno retinendam, nec temerè abjiciendam.

Nec inſolens pecudes hyeme ſub dio pernoctare.

Voſſius de menſe & die Natali Chriſti, theſi 3.

Deinde non apparet cur Scaliger in Chronico Græco Euſebii Conſules anni 43. Iuliani mutet in Conſules anni ſequentis, ſi Chriſtum natum ponit eo anno, Cyclo Lunæ 18. Auguſti 42. Actiaco 28. menſe Septembri, nam Conſules anni illius durant uſque ad Decembrem finitum: & annus 42. Auguſti jam currebat à menſe Martio, in quo Iulius vitam & imperium finierat; & Actiacus 28. à menſe

Errorem ſuum Scaliger corrigit, ſed aberrat biennio.

Lib. 6.

menſe Septembri. Et hunc errorem ſuum ipſe Scaliger correxit in libro de Emendatione Temporum, ubi ait Natalem Chriſti incidere in Cyclum 18. L. Cornelio Lentulo & M. Valerio Meſſalino Coſſ. cùm tamen in Chronico poſuiſſet Octavianum 13. & M. Plautium. Vbi tamen uno errore correcto adhuc aberrat biennio.

De emend. Temp. l. 6.

Et in Eclipſi Lunæ à ſe inventa frigidè gloriatur.

In Animad. n. 2019.

Tertiò, cauſa non fuit cur Scaliger in anno Nativitatis prçveniret Æram communem, qui in morte Herodis ſequebatur Ioſephi ſententiam, niſi forte in ſola Eclipſi Lunæ, quæ contigit Herode ægrotante, & de qua inventa circa initium anni Iuliani 45. ſecundùm leges Aſtronomiæ multùm gloriatur, & alios quaſi ſimios ſui in eo invento imitatores ſugillat.

Verùm neque Scaliger ex eventu ejus Eclipſis adeo premebatur, quin Chriſti Nativitatem paulo tardiùs differret, interveniente altera Lunæ defectione circa finem ejuſdem anni 45. Iuliani; neque exiſtimabuntur ejus ſimij, qui, quam ipſe ſumpſit relicta, in alia conſiſtent, quæ non minùs ad Herodis tempus cum Chriſti Nativitate jungendum apta videri meritò poteſt, ut ex inferiùs dicendis patebit.

Et Onuphrium errãs ipſe corrigit.

De emend. Temp. l. 6.

Et quanquam non malè hallucinationem Onuphrij amici ſui reprehendat, quòd natum Chriſtum ponat anno Iuliano 44. Auguſto 13. & Silvano Coſſ. Olympiadis 194. anno tertio, Vrbis conditæ 752. & rectè velit eum ſaltem uno anno Natalem Chriſti antiquiorem ſenſiſſe: non rectè tamen ipſe Natalem Chriſti duobus annis juſtò ſuperiorem facit Cyclo 18. Coſſ. Lucio Lentulo & Valerio Meſſalino.

Fruſtra ſe torquet Scaliger, ut biennio aberret in Nativitatis Chriſti anno.

Animad. in Euſeb. num. 2044.

Denique neceſſe non fuit ut Scaliger recto ſentiens de Paſſione Chriſti anno 33. Æræ communis, ab ea æra recederet in conſtituendo anno Nativitatis, & Chriſto vitæ annos 35. daret, cùm tres & triginta ſufficerent. Neque etiam ut id prçſtaret opus erat ut ingenium uſque ad ſudorem, & amentiæ, ut ipſe ait, ſpeciem torqueret conſtituendo quinque Paſchata Prçdicationi Chriſti, cùm quatuor, ut ipſe fatetur, longè meliùs cum Evangelio Sancti Ioannis

Digitized by Google

Ioannis conveniant. Quemadmodum etiam opus non fuit ut Chriſti Baptiſmum in ipſo anno Tiberij 15. conſtitueret, cùm poſſet commodè cum Euſebio ponere in 16. quem falsò & temerè reprehendit in eo contra fidem Evangeliſtæ feciſſe. Non enim Evangeliſta ait Chriſtum anno 15. Tiberij baptizatum, ſed verbum Domini ad Ioannem factum; ideòque tam commodè poteſt intelligi Chriſtus baptizatus poſt finitum 15. Tiberij, quam eo durante.

Si ergo ùtrumque iſtud Scaliger feciſſet, quod commodius & facilius erat; id eſt, ſi Chriſti Baptiſmum in anno 16. Tiberij poſuiſſet, & tres ſolùm annos integros ejus Prędicationi aſſignaſſet, biennium ſuperfluum annis Chriſti detraxiſſet, & annos ei duntaxat tres & triginta inchoatos dediſſet; & quemadmodum Paſſionem cum 33. communis Æræ conjunxit, ita Nativitatem Domini proximè ante caput Æræ communis conſtituiſſet, & annum ejus primum cum primo Æræ communis collocaſſet, cum perfecta convenientia annorum Æræ Chriſti & communis. Sed ut ipſe parvi æſtimat ab opinione communi & uſu in Eccleſia antiquitus recepto diſcedere in die & menſe Nativitatis & Baptiſmi Chriſti; ita non multùm curavit Æræ communis annos cum annis Chriſti, ut facilè potuiſſet, unire.

Et facilè ſe ab erro re liberaſſet.

Nec aberraſſet à ſenſu Patrum Nativitatem Chriſti in Solſtitio hiberno ponentium.

Poſuit Scaliger opinione ſingulari Nativitatem Chriſti in æquinoctio Autumnali, incerto die Septembris.

Ponunt eam Patres in Solſtitio Hiberno, quo creſcere incipiunt dies, 25. Decembris, poſt S. Clementem multi.

Lib. 5. Conſtit. Apoſt. cap. 12.

Vnde Sanctus Auguſtinus, comparans Nativitatem B. Ioannis in Solſtitio æſtivo cum Nativitate Chriſti in Hiberno. *Hodie*, inquit, *natus eſt Ioannes, quo incipiunt decreſcere dies; eo die natus eſt Chriſtus, quo incipiunt creſcere dies.*

Serm. 21. de Sanctis.

Et Sanctus Chryſologus verum diem ait illuxiſſe in carne, quo die dies incipiunt creſcere.

Serm. 159.

Divus quoque Chryſoſtomus diem Chriſti Natalem certum aſſignat, & omnium feſtivitatum metropolim appellat

Serm. de B. Philogonio.

appellat, præcipuam ſcilicet & aptam, ut una cum Circumciſione proxima anni caput & æræ Chriſtianæ principium exiſteret.

Roſæ florent in nocte Nativitatis Chriſti. *Del Rio in Marianis.*

Eam diem 25. Decembris Natalem ſuum honorare Dominus dicitur ſpeciali miraculo, quo fit ut roſæ toto reliquo anno aridæ & clauſæ, eâ ſola nocte quæ diem illam præcedit, florentes & apertæ videantur in Palæſtina prope fontem Helizæi.

Sethus Calviſius, Scaligeri ſectator. *In Iſag. Chron. cap 44. & ſeqq.*

IV. De Setho Calviſio nihil fere aliud dicendum habeo, quàm quòd Scaligeri diſcipulum ſe profitetur, & magiſtri opiniones ubique ſequitur, proptereaque iiſdem quibus ille rationibus refellatur. Hoc tamen præterea habet, quòd meliùs illo Aſtronomiæ leges intelligat, adeòque Solis & Lunæ defectiones juſtiùs ad calculum revocet; & in ſecunda editione anno 1620. facta, meliùs adhuc quàm in priori.

Cap. 45.

Cęterùm quamvis Autor iſte rectè oſtendat Baronij hallucinationem in anticipatione Æræ communis ad biennium, & duo paria Conſulum ſuperiora, & duos annos Vrbis & Olympiadum ſuperiores, cum quibus Nativitatem Chriſti conjungit: re enim verâ Baronius falſus eſt in ea anticipatione Æræ communis, ſed non in conjunctione Nativitatis Chriſti cum Æra communi. Quare ſi modò primus annus Æræ communis, & ei conjunctus primus Chriſti ſuo loco reponantur, duobus annis infra ſedem quam ei Baronius tribuit, aliis fere omnibus relictis, omnia rite quadrabunt, & omnia Sethi argumenta contra Baronium cadent: Ipſe tamen Sethus non ſe defendit ab indebita anticipatione Nativitatis Chriſti ad idem biennium, etiamſi Æram communem à loco debito non removeat. Eſt enim etiam in eo error, quòd ponatur Chriſti primus annus ante primum Æræ communis; & nos toto hoc opere neceſſariam annorum Chriſti & Æræ communis convenientiam, jam diù in Eccleſia Catholica uſu communi receptam, demonſtrandam ſuſcepimus; & niſi fallimur, æquis mentibus perſuademus.

PARAGRA

PARAGRAPHUS V.

TERTIA CLASSIS.

De Anno Iuliano 41.

1. TErtia Claſſis ducem meritò ſibi Dekerium prę-ponit: is enim vir doctiſſimus, & in antiquitate tam Romana, quàm Iudaica verſatiſſimus, primus videtur ex collatione Ioſephi cum Dione, & aliis Hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, concluſiſſe mortem Herodis, & ex conſequenti Chriſti Nativitatem (quam in diebus Herodis factam clarè docent Evangelia) citiùs ſaltem quatuor annis integris adveniſſe, quàm Æræ communis exordia patiantur: Chriſtum enim vult natum 25. Decembris anno Iuliano 41. Hæc ſententia contra ſe habet, quòd Chriſtum pluſquam 35. annis vixiſſe admittat. Sed id incommodum, etſi novum, non exiſtimat; & Keplerus uſque ad 37. inchoatos annos Chriſti vitam extendit. *Sententia DeKerij de Chriſti Nativitate anno Iuliano 41.*

Argumenta quæ huic ſententiæ faveant ſupra poſita ſunt de morte Herodis anno Iuliano 42. aut 43. de Iuliæ exilio & Caij Roma diſceſſu ante annum 44. de Archelai item exilio anno Iuliano 51. decem annis poſt patris obitum: de Philippi morte, anno 20. Tiberij, 37. poſt mortem Herodis: & de Eclipſi Lunæ paulò ante Herodis mortem, anno Iuliano 42. & de aliis ſimilibus, quæ conſtantiſſimè affirmantur à Ioſepho & Autoribus Hiſtoriæ Romanæ cum magna concordia; de quibus jam ſupra egimus initio hujus capitis, & dicendum reſtat, ut quęſtio hæc planè ſolvatur, & nihil quod dubitationem jure movere poſſit, in animis æquitatis ſtudioſis relinquatur. *Rationes pro hac ſententia.*

Ad ea ergo quæ modò objecta ſunt, ſunt qui reſpondent Ioſephum in ipſa Herodis hiſtoria graviter lapſum, & annos ipſi quindecim tribuere, quando Iulius Cęſar *Baron. in App. n. 114. Antiq. lib. 14. c. 17.*

Digitized by Google

confecto bello Alexandrino patri ejus Antipatro Iudeæ adminiſtrationem tribuit, anno ante Chriſtum 48. Vnde ſi 70. annis vixiſſet, ut ipſe Ioſephus aſſerit, mors ejus contigiſſet ſeptimo Æræ communis, Iuliano 52. quæ longè abſunt ab anno 42. in quo mors Herodis collocatur, poſito a Keplero regni illius initio anno Iuliano 6. & annis regni 37. eaque de causâ Baronius, ut Ioſephum ſibi ipſi conciliet, putat initium regni Herodis ſumendum eſſe ab eo anno quo Herodes Rhodum ſe contulit ad Auguſtum, & ad ejus pedes abjecto diademate ſuplex regni novam inſtitutionem accepit. Erat is annus Iulianus 15. à quo numeratis 37. annis regni Herodis, venitur ad annum Iulianum 51. æræ communis 6. Baronio propter biennij anticipationem 8. integrum, & preterea tres menſes.

Lib. 17. cap. 8.

Reſponſio Baronij ad Ioſephi opinionem.

Herodis regnum inchoandum anno Iuliano 15.

II. Sunt qui dicant Ioſephum tribuiſſe annos 34. regni Herodis à captis Ieroſolymis, & 37. à regno à Romanis accepto, cùm triginta iſtos ſeptem numerare debuiſſet à captis Ieroſolymis anno Iuliano 9. Sic enim mors Herodis contigiſſet anno Iuliano 46. poſitis illis 37. annis completis, & 38. inchoato. Et ita P. Philippus Labbe in ſua Concordia Chronologiæ, Hervuartus in Nova Chronologia, Codomanus ad annum mundi 4144. Et ſanè cùm ſepe Ioſephus regnum Herodis inchoet à captis per Soſium Ieroſolymis, quod certiſſimè contigit, ipſo Ioſepho teſte, Marco Agrippa & L. Gallo Conſulibus, Olympiadis 185. anno tertio ad finem vergente, id eſt, Iuliano nono circa æſtatem: ut cùm annum quo ad Actium pugnatum eſt ſeptimum Herodis vocat, & pugnæ tempus deſignat Olympiadem 187. Cùm enim pugna Actiaca contigerit anno Iuliano 15. ex omnium fere, atque etiam Petavij, Kepleri ac Dekerij confeſſione, Olympiadis 187. anno 2. jam inchoato, neceſſe eſt ut primus Herodis incurrat in annum 9. Iulianum. Similiter cùm ſcribit Ioſephus Sebaſtem Cęſaream ædificatam ab Herode anno regni 28. Olympiade 192. rectè poteſt primus Herodis duci à Iuliano nono, à quo 28. id eſt, 37. Iulianus eſt

Aliorū, anno Iuliano 9. addendos 37. regni Herodis annos, ut veniatur ad 45. Iulianū.

Æra Chriſt. ſecul 1. Nov. Chron. cap. 148. 149. & 232.

Initium regni Herodis anno Iuliano 9.

Ἑβδόμου ὄντος Ἡρώδῃ τῆς βασιλείας ἔτους. Ἐπὶ τῆς. ζ. καὶ π. καὶ ρ Ὀλυμπιάδος. *Ioſeph. Ant. l. 15. c. 7. & 6.*

Εἰς ὄγδοον καὶ εἰκοστὸν ἔτος τῆς ἀρχῆς, ἐπ' Ὀλυμπιάδος δευτέρας καὶ ἐνενηκοστῆς πρὸς τῶν ἑκατόν. *Idem l. 16. c. 9.*

eſt annus quartus Olympiadis 192. inchoatus æſtate.

Quod pari quoque modo dici poteſt de anno graviſſimæ famis in Iudęa ſub Petronio Ægypti Pręfecto, quem Ioſephus annum Herodis 13. numerat. Is enim erit Iul. 22. à 9. 13. Ac pariter de Zenodori Tetrarchia, quam Ioſephus à Cęſare Herodi datam ait anno Herodis regni 17. jam elapſo; is enim ſimiliter erit Iulianus 26. à 9. 17. abſolutus.

Ἐνιαυτὸν ιγ. ὄντα τῆς Ἡρώδου βασιλείας. *Cap.* 12.

Ἤδη δ᾽ αὐτοῦ τῆς βασιλείας ιζ. παρελθόντος ἔτους. *Cap.* 13.

Et hoc neceſſariò dicendum eſt de centum & ſeptem annis, quos numerat Ioſephus ab Herodis Principatu ad excidium Ieroſolymorum & Templi conflagrationem ſub Tito: cùm enim certum ſit eam cladem contigiſſe anno Chriſti & Æræ communis 70. Iuliano 115. ſi de 115. tollas novem, reſtant 106. completi, cum 107. inchoato. Erit ergo initium Principatûs Herodis anno Iuliano 9.

Χρόνος τούτων ἔτη περὶ τοὺς ἑκατὸν ἑπτά. *Id. in lib.* 20. *cap.* 8.

Quod ita fere de omnibus locis, in quibus annos regni Herodis Ioſephus computat, dici poterit, eum à 9. Iuliano, & captis per Soſium Ieroſolymis ſublato Antigono, exordium ſumere. Ad quod ſi reſpondeatur, eo conceſſo, annos regni Herodis ſolùm 34. eſſe numerandos, ut expreſsè Ioſephus ait Herodem poſt ſublatum Antigonum 34. annos uſque ad vitæ finem regnaſſe; opponetur contra, ab eo initio finem 34. annorum non incidere in annum 42. Iulianum, ſed in 43. qui non habet characterem morti Herodis à Ioſepho deſignatum, nempe Lunæ defectionem, ut ſupra jam oſtendimus.

Convenientiùs ergo dici poſſet regnum Herodis inchoatum anno Iuliano 9. finem accepiſſe poſt annos 37. anno Iuliano 46. qui eſt primus Chriſti & Æræ communis; & ita commodè quadraret numerus annorum 107. quos ab initio regni Herodis uſque ad cladem Ieroſolymorum fluxiſſe Ioſephus ait, & commoda eorum partitio in annos 37. regni Herodis ante primum Chriſti & Æræ communis, & in annos 70. à primo Chriſti ad eam cladem. Proximè autem ante hunc primum Chriſti annum

Finis anno Chriſti primo.

V 2 Lunæ

Lunæ defectio à Ioſepho indicata reperitur. Et ita error unicus in his fere omnibus, quæ de Herodis regni annis ſcribit, Ioſepho tribuendus eſſet, quod nimirum ab eo initio regni quod ei tribuit à morte Antigoni & captis Ieroſolymis Coſſ. M. Agrippa, & L. Gallo, Olympiadis 185. anno quarto ineunte in æſtate anni 9. Iuliani, annos triginta quatuor duntaxat numeret, cum 37. debuiſſet. Sic enim fere omnia bellè ſibi in Ioſepho cum veritate conſtabunt, quæ aliàs ab errore, eoque multiplici, vindicari non poſſunt.

Nos, qui teſtimonio Ioſephi hac in parte niti nolumus, de eo ab errore vindicando non valde laboramus, eo contenti, quòd oſtendamus evidenter ſententiam adverſariorum de morte Herodis anno Iuliano 42. aut 43. à teſtimonio Ioſephi præſidium nullum habere.

Error Ioſephi in annis Philippi.

De Emend. Temp. l. 5. 1. Epiſt. ad Kepler. In Eclog. Chron. pag. 9. De doct. Temp. lib. 11. cap. 4.

III. De alio Ioſephi errore, aut ſaltem de vitio Librariorum in annis Philippi, queritur Scaliger. & annum Tiberij 20. pro 22. irrepſiſſe exiſtimat; quod & Sethus Calviſius putat. Et ipſe Petavius mendum agnoſcit in Ioſephi textu, & Latinam Rufini interpretationem, quæ viginti duntaxat Philippo annos regni tribuit, falſi accuſat.

Et Archelai deportatione.

Alij de Archelai deportatione in Galliam, & bonis fiſco per Quirinium attributis, oſtendunt eo anno quem Ioſephus aſſignat, eam fieri non potuiſſe.

Eclog. Chron. epiſt. 19. & 20. pag. 161. & 162.

Et ſanè ipſe Keplerus & Dekerius aſſerunt vehementer errari in exilio Archelai, anno 51. Iuliano, quem conſtat poſt mortem Glaphyræ conjugis fuiſſe in Gallias amandatum; & tamen Iubam, qui ante Glaphyram ſuam etiam conjugem mortuus erat, adhuc ſuperſtitem, cùm Archelaus deportatus eſt, ſcribunt. *Ex quo ſequitur*, inquit Dekerius, *non eſſe verum, quod nullâ hæſitatione aſſeritur, Herodem obiiſſe anno* 42. *Iuliano.* Quod teſtimonium à viro illuſtri contra ſuorum ſectatorum ſententiam, magnum ſanè eſt pro noſtra argumentum.

Hervuart. Nov. chron. cap. 231.

Alij volunt quinque paria Conſulum circa 40. Auguſti annum

annum in Faſtis redundare, & ad juſtam hiſtoriæ fidem tollenda videri. Et ita Autor novæ Chronologiæ putat ſolvi nodum de Incarnatione & Nativitate Chriſti anno Iuliano 41. quatuor aut quinque annis anticipata à Dekerio & Keplero. *Quod*, inquit, *nemo unquam, aut uſpiam Gentium, aut locorum, ex veteribus omnibus aſſeruit.*

Cap 233. Nativitas Chriſti anticipata quatuor aut quinque annis, contra ſenſum omnium veterum.

IV. Circa relegationem Iuliæ, & Caij Romà diſceſſum, libenter admitto, quod Keplerus tantopere contendit, fieri utrumque non potuiſſe ante annum Iulianum 44. Sed nego quidquam aſſeri contra veritatem hiſtoriæ, ſi dicatur & Iuliam fuiſſe proſcriptam anno 45. & Caium urbe digreſſum anno 46. & abſolutè aſſero non fuiſſe impoſſibile, ſi Caius ab Archelao Romæ viſus ſit in conſiliis Auguſti primum locum tenere circa menſem Maium, Archelao poſt Paſcha Ieroſolymis Romam profecto ad Auguſtum, ut paterni teſtamenti confirmationem impetraret.

De Anno Natali Chriſti, cap. 10.

Caij romà diſceſſus non improbabilis anno Iuliano 46.

Atque in hac quidem tota hiſtoriæ ſerie fides Dioni nulla eſt habenda, ſive quia re ipsâ falſus eſt in Conſulibus, ſive quia contextus eius integer non eſt, pluribus locis vitioſus, & magna lacuna annorum circiter decem hians, ut ejus Commentatores agnoſcunt; ſive quia reditum Tiberij Romam mortuo jam Caio factum aſſerit, quod contra rei veritatem & aliorum Hiſtoricorum fidem manifeſtum eſt. Eam lacunam, & Dionis vitium Tacitus & Suetonius non corrigunt, Xiphilinus & Zonaras retinent.

Fides Dioni nulla habenda.

Xylander, & Leunclavius.

Itaque Dio, Conſulibus Caio Antiſtio Vetere, & Lelio Balbo, uno quaſi contextu Caij & Lucij mores feroces, & Auguſti ſapientiam deſcribens, addit factam ab eodem Auguſto frumentationem, & pugnæ navalis editum populo ſpectaculum: tum Iuliæ filiæ ſeriùs notam & caſtigatam libidinem, cum Iuliæ ipſius in Pandateriam Inſulam deportatione, & animadverſione in conſcios criminum; & ſubjungit Caij ad Armeniam profectionem, & Tibetij Romam reditum, ante mortem Caij.

Γαῖός τι Ἀντίςιος καὶ Λαίλιος Βάλβος ὑπάτευσαν. *Dio lib.* 55.

Annus

Annus is erat omnium fere conſenſu iulianus 40. in cujus Palilibus 748. Vrbis conditæ cœptus eſt, & æſtate 3. Olympiadis 193. quo anno nondum nec Iuliæ deportatio, nec Caij ex Vrbe in Armeniam diſceſſio fieri potuit; & in Dione vitium aut error manifeſtus ſaltem quadriennij deprehenditur.

Velleius rem aptè explicat.

Corrigit autem Dionem Velleius Paterculus Hiſtoriæ lib. 2. ubi diſtinctè Conſulatum Auguſti & Galli Caninij deſignat, in eóque primùm aſſerit ab Auguſto factum magnificentiſſimum gladiatorium munus, & Naumachiæ ſpectaculum populo editum, & dedicatum Martis Templum, deinde eum annum 30. aſſerit ante Conſulatum M. Vinicij, in quo ſcribebat, & librum ſuum eidem Conſuli dicabat; quibus notis certiſſimè conſignatur annus iulianus 44. poſt quem 30. excluſivè eſt 75. iulianus, quo Vinicius Conſulatum gerebat, Æræ communis & Chriſti 30. Baptiſmo Salvatoris inſignis, ut ſupra jam oſtendi. In hoc ergo iuliano 44. Velleius poſt explicatam pręclaram Auguſti munificentiam in ſupradictis ſpectaculis, quibus animos oculóſque Populi Romani repleverat, fœdam illam horrendámque tempeſtatem in domo Auguſti erupiſſe ſcribit, vulgatam nempe Iuliæ turpitudinem, & infamem peccandi licentiam fortunæ magnitudini parem, quam Auguſtus nec ferre, nec diſſimulare potuerit. Vnde conſecutæ ſunt multorum & illuſtrium virorum quęſtiones & ſupplicia; quia Cęſaris filiam & Neronis conjugem violaſſent: adeóque ipſius Iuliæ in inſulam relegatio.

Τότε δ' οὖν τοσούτῳ θυμῷ ἐχρίσατο, ὥστε μηδ' οἴκοι αὐτὴν κατασχεῖν, ἀλλὰ καὶ τῇ γερουσίᾳ κοινῶσαι. *Dio lib.* 55.

Quæ profectò omnia tanta & tam gravia par eſt credere, non anno illo 44. quo eruperunt, & primùm in certam notitiam venerunt, perfecta fuiſſe; ſed magnam partem ſequentis anni tenuiſſe, Auguſto iram non continente domi, & negotio cum Senatu communicato, ut teſtatur Dio. Et ita probabiliter Iulia circa finem anni 45. relegata eſt. Accedit argumentum convincens ex Macrobio, qui de Iulia loquens ante perditam patris gratiam

Iulia relegata anno Iuliano 45.

Saturn. lib. 2. cap. 5.

gratiam, deſcribit eam jam in ſenium vergentem, triceſimum octavum annum agentem, & caneſcentem. Quare cum natam eam aſſerat Dio eo ipſo die quo amatà Liviâ Auguſtus Scriboniam repudiavit, Lucio Martio & Caio Sabino Coſſ. anno Vrbis conditæ 715. mitti in exilium non potuit ante annum 753. qui in anno 45. Iuliano exordium habet.

Λεύκιός τε Μάρκιος, ϗ Γάιος Σαβῖνος ὑπάτευσαν. Διὰ τοῦτο καὶ τὴν Σκριβωνίαν τεκοῦσαν οἱ θυγάτριον ἀπεπέμψατο αὐθημερόν. *Dio lib. 48. an. Vrbis 715.*

Vnde item probabile fiet Caij miſſionem ad ſequentem annum Iulianum 46. pertinere. Tam gravis enim expeditio ad bellum contra Armenios, ut ſcribit Dio; & contra Parthos, ut Velleius, ſex minimùm menſes tenuit, præſertim Conſuli, Auguſti nepoti, & imperij deſignato ſucceſſori, qui primos anni, & Conſulatus menſes ageret in ipſius Auguſti conſpectu, & Romanæ nobilitatis, quam in Orientem ducebat. Circa menſem igitur Maium Romæ hæſiſſe dici poteſt Caius, & paulò ante exitum ab Archelao videri potuit. Et ita intelligi poteſt quod ait Velleius narratâ Iuliæ relegatione: Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, cùm Caius Cæſar in Syriam miſſus, &c.

Caius Româ diſceſſit anno Iuliano 46.

Et quanquam hoc Ioſephi teſtimonio de viſo Romæ Caio ab Archelao uti nolim pro confirmatione mortis Herodis anno Iuliano 46. quandoquidem jam in multis fidem Ioſephi dubiam, & nullius planè momenti demonſtravi: volui tamen oſtendere nullum ex eo peti poſſe argumentum contra noſtræ ſententiæ firmitatem. Volui quoque Dionis fidem infringere, & vitium ejus aperire circa Caii Româ diſceſſum, ut oſtenderem luce ipsâ meridianâ clariùs, Autores qui natum volunt Chriſtum anno Iuliano 41. & Herodem mortuum 42. aut 43. fruſtra autoritate Ioſephi & Dionis niti, fruſtràque afferri illorum teſtimonium adversùs noſtram, de Chriſti Circuncisione & Herodis morte in anno Iul. 46. Æræ Chriſti & communis, opinionem. Vbi non erit injucundum, nec forte inutile mirari Dei Patris erga dilectiſſimum Filium ſuum Providentiam, qui quo anno Auguſtus adoptivum filium & nepotem Caium Cæſarem toti orbi Romano illuſtrem

Ioſephi & Dionis fides imminuta.

exhibet

Anno eodem, quo Caius Cęſar Conſul, Chriſtus circuncifus.

exhibet, in Vrbe Conſulem ad Occidentis gloriam, in Syria Legatum ad Orientis ſplendorem, cum ſummo imperio pręficit brevi moriturum, & ad ſummam matris impudiciſſimæ infamiam delendam; eodem ipſe anno Verbum Filium ſuum unigenitum, conſubſtantialem & coæternum, incarnatum mundo oſtendit, ad lucem Gentium omnium & orbis univerſi ſalutem, cum divina verè gloria Humanitatis aſſumptæ, & Matris Virginis inviolata integritate.

V. Sed redeamus ad Dionis ac Ioſephi teſtimonia, valde hac in parte infirma ad labefactandam quam hactenus propoſuimus de Chriſti anno Natali ſententiam, & obſervemus duntaxat valde obſcuram & dubiam Hiſtoriæ Romanæ ac Iudaicæ fidem hoc in tempore Legationis Caij Cęſaris & Chriſti Nativitatis, Scriptorum negligentiâ, vel temporum injuriâ, relictam eſſe.

Ioſephus conſilio malo tacuit cędem Infantium.

Saturn. lib.2.cap.4.

V. Certè negari non poteſt quin Ioſephus, aut conſilio, aut ignoratione, tacuerit Innocentium puerorum cędem, adeo tamen horrendam, & ſua crudelitate publica manifeſtam, de qua ipſe Macrobius Scriptor Romanus mentionem facit, cùm aſſerit Auguſtum audita Herodis crudelitate quæ proprio filio non pepercíſſet, dixiſſe, malle ſe Herodis porcum, quàm filium haberi.

Et Quirini deſcriptionem in Chriſti nativitate.

Et aliis rebus geſtis.

In Appar. n.114.& ſeqq. ad an.34. n.227.

Negari non poteſt, quin Ioſephus in cenſu facto à Quirino falſus fuerit, & Saturninum pro eo ſubſtituerit, contra Evangelicam veritatem, circa tempora Nativitatis Chriſti, & Quirini cenſum poſt Archelai relegationem decem fere tardiùs annis conſtituerit. Et ſuſpectum ſanè eſſe poteſt mirum Ioſephi hominis Iudęi ſilentium de Nativitate & rebus geſtis Chriſti, adeo in Iudęa publicis, de quibus ipſe perpauca, ut & de ipſo Chriſto, conſcripſit, & Iacobi potiùs quàm Chriſti morti à Iudęis illatæ pœnam tribuit Ieroſolymorum extremam à Romanis vaſtitatem. De mala fide Ioſephi plura videri poſſunt in Annalibus Baronij. Quibus adde ad minuendam in rebus Chriſti explicandis Ioſephi hominis Iudęi autoritatem, quòd

quod ille Veſpaſiano adulatoriè tribuit quod Daniel Chriſto, oraculum de Rege qui univerſo orbi dominaretur.

Lib.7. de bell. cap. 12.

V. Quamobrem in hac hiſtoriæ obſcuritate & dubitatione Ioſephi circa annum mortis Herodis, malo ſtare in luce Evangelij ſuperiùs propoſita de morte Chriſti 33. vitæ anno, Tiberij 19. & Baptiſmo, anno ætatis 30. Tiberij 16. & conſequenter conſtituere Nativitatem 25. Decembris, currente anno Auguſti 44. Iuliano 45. deſinente; primum vero Chriſti annum eodem Auguſti 44. adhuc currente, inchoatum à Iuliano 46. ineunte Sic enim perfectiſſimè tota Æra communis cum Æra annorum Chriſti quadrabit, & initium ſumet, & ad noſtra uſque tempora conjunctiſſimè perſeverabit.

Quod ſi Keplerus & Petavius, & qui eos ſecuti ſunt, opponant Ioſephi & Dionis conſenſum in morte Herodis citiùs poſita, & Evangelij fidem de Chriſti Nativitate in diebus Herodis, admittam quidem ſimpliciter Evangelij fidem, ſed à Ioſephi & Dionis teſtimoniis jam ſupra expoſitis, ad ejuſdem Evangelij fidem provocabo, & contendam Chriſti Nativitatem contigiſſe quando edictum exiit ab Auguſto Cęſare, ut deſcriberetur univerſus orbis terrarum, & quando deſcriptio illa prima facta eſt à Cyrino Syriæ Pręſide.

Matth. 2.

Fides Evangelij tenenda in Chriſti Nativitate.

Luc. 2.

Vrgebo illos vehementiùs, ſi quęram ut oſtendant ex Ioſepho, & hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, quando hoc edictum ab Auguſto factum ſit, & quando Quirinius ſeu Cyrinus fuerit Syriæ Pręſes, & eam deſcriptionem fecerit, quam illi negant, dum contendunt mortem Herodis 42. aut 43. contigiſſe, quod Evangelium non dicit, & ego negare ſalvà Evangelicà veritate poſſum; ipſi verò eam deſcriptionem ab Auguſto imperatam, & à Quirinio Syriæ Preſide factam tempore Nativitatis Domini, negare, niſi Evangelio contradicendo, non poſſunt.

In edicto Auguſti, & deſcriptione Quirini.

Tres deſcriptiones ab Auguſto factas Autores memorant; primam anno 18. Iuliano, ipſo Auguſto ſextùm & M. Agrippa ſecundùm Conſulibus; ſecundam anno Iuliano

Suetom. in Auguſto, cap. 27.

Keplerus de anno Nat. Chriſti, cap. 11.

Digitized by Google

liano 38. Cenſorino & Gallo Conſulibus; tertiam anno 59. Iuliano, quo ipſe Auguſtus mortuus eſt, duobus Sextis Conſulibus. Nulla trium iſtarum anno Nativitatis convenit, & de fide tamen Evangelij conſtat Chriſtum natum in oppido Bethlehem, quo Ioſephus & Beata Virgo venerant, ut profiterentur ſe Auguſti ſubditos, in deſcriptione generali ab Auguſto edicto ſancita, & à Quirinio Syriæ Pręſide executioni mandata.

Keplerus de anno Chriſti Nat. cap. 11.

Quirinium creatum Conſulem ſcribunt Autores longè antequam Chriſtus in mundum venerit, anno Iuliano 34. Caio Cęſari in Syriam abeunti datum Gubernatorem, & quaſi Magiſtrum morum, aut pręcipuum Conſilij Miniſtrum, anno Iuliano 44. Denique miſſum cum poteſtate in Syriam ad publicationem bonorum Archelai anno 51. quando à Ioſepho ponitur Pręſes Syriæ, publicam deſcriptionem feciſſe, & poſt Archelai relegationem bona ejus fiſco Cęſaris adjudicaſſe, cujus reſpectu ingenioſè quidem, ſed minùs ad ſenſum Scripturæ & Patrum accommodatè, Hervuartus in Chronologia ait deſcriptionem à Sancto Luca proditam, non factam à Quirino, ſed factam ante deſcriptionem Quirini.

Cap. 241.

Plus ergo juris & cauſæ habeo exigendi ab Autoribus qui autoritatem Ioſephi & Dionis allegant pro anno Iuliano 42. aut 43. in morte Herodis, ut fidem Evangelij tutam ſervent in edicto Auguſti, & deſcriptione à Cyrino, ſeu Quirinio Pręſide Syriæ facta, in anno Nativitatis Chriſti Domini: illud enim ſoli Autores prophani teſtantur, & fallaces, & in multis mendaces; hoc aſſeverant ſacri & divino Spiritu afflati. Quare ſi in hoc poſteriori coguntur relinquere teſtimonium hominum, ut adhęreant verbo Dei, mihi quoque ignoſcant ſi in priori, ut fidei Scripturæ me conformem, Ioſephi & Dionis autoritati non aſſentiar.

Major fides ſacris habenda, quàm prophanis.

His ita paulò fuſiùs diſputatis circa fidem autoritatis Ioſephi, non quidem neceſſariis, ſed fortè quibuſdam non ingratis, hęreo in mea concluſione, & Chriſtum natum aſſero

aſſero anno Iuliano 45. exeunte, & vim totam objectionis in autoritate Ioſephi poſitæ elido, dicendo teſtimonium Ioſephi de morte Herodis anno 42. Iuliano nullum eſſe, quod ab ipſo Ioſepho deſtruitur poſito 15. Herodis anno Vrbis conditæ 708. id eſt, præcedente primum annum Iulianum. Sic enim ſeptuageſimus Herodis, in quo vitam & regnum finiit, 55. ab illo, deſineret in 55. Iulianum; id eſt, annis 13. poſt mortem Herodis ipſe mortuus eſſet, ſi mortuus anno 42. Iuliano.

Autoritas Ioſephi circa mortem Herodis infringitur.

Præterea etiamſi teſtimonium Ioſephi ſtaret, & à me ut veriſſimum admitteretur, de initio regni Herodis, vel anno 6. Iuliano, Conſulibus Domitio Calvino, & Aſinio Pollione, vel anno 9. Coſſ. M. Agrippa, & L. Candidio Gallo; non tamen ex eo ſequitur Herodem mortuum anno Iuliano 42. ſed 43. Ad 6. enim Iul. in quo ponitur primum initium, additis 37. regni Herodis annis, exurgit 43. non 42. & ſimiliter ad 9. Iulianum additis 34. fit 43. Iulianus, non 42. ut rectè Sethus Calviſius obſervat. Et ipſe Dekerius in epiſtola ad Keplerum 21. *Nunquam*, inquit, *coaleſcere facies annum* 70. *Herodis cum* 42. *Iuliano*, *præſertim ante Paſcha*, *quo mortem ſignas Herodis. At verò pulchrè hæc omnia* 43. *conſpirant Iuliano*, *uti palam ſit ex Tabula. Quare etiamnum ſuſtineo anno* 43. *mortuum.* Tabulam autem Dekerij cum ſua repræſentat Keplerus epiſtola 16. At valde quoque Dekerius in eo implicatur, quòd in 43. Iuliano non inveniat Lunæ defectionem à Ioſepho poſitam tanquam proprium anni quo Herodes mortuus eſt characterem. Sive ergo mortuum dicant Herodem anno Iuliano 42. ſive 43. Autores nobis contrarij, in Ioſephi teſtimonio fundari non poſſunt, à quo dejecti integritati & firmitati noſtræ ſententiæ machina illorum princeps, & forte unica non nocebit. In anno enim Iuliano 43. non reperitur defectio illa Lunæ à Ioſepho ut character extremi morbi Herodis aſſignata, nec triceſimus quartus aut ſeptimus regni Herodis in 42. Iulianum cadunt. Et ita tam Keplerus & Petavius, qui 42. quàm Dekerius, qui 43. morti Herodis aſſignant, refellentur.

Iſag. Chron. cap 44.
Eclog. Chron. pag. 172.
Ibid. pag. 111.

Digitized by Google

Mors Herodis anno 46. Iuliano.

VIII. Quamobrem neceſſarium planè videtur ut conſtituatur mors Herodis anno 46. Iuliano, quem primum Chriſti ponimus; nihil enim in contrarium ſolidi poteſt opponi deſtructo Ioſephi teſtimonio. Immo in eum annum quadraret aliud Ioſephi teſtimonium de anno Herodis, non decimo quinto, ſed 25. quando à patre Galilææ præfectus eſt, anno ante 1. Iulianum primo: & quædam alia, quæ ſuperius poſuimus ex ipſo Ioſepho.

Antiq. lib. 17. c. 11. Et de bello lib. 1. c. 4.

Quo etiam pertinere poſſet quod Ioſephus ait, & ſupra jam poſuimus, Archelaum poſt patris mortem ſtatim Romam profectum vidiſſe Caium Cæſarem Auguſti nepotem, & adoptivum filium, Conſiliis Reipublicæ præſidentem, magnâ ipſius ambitione & voluptate: non commodiùs enim id factum dici poſſet, quàm anno quo ipſe Caius poſtulatione Auguſti Conſulatum gerebat, & autoritate ampliſſimæ dignitatis, & avi gratiâ in negotiis adminiſtrandis primum locum tenebat. Sub finem autem Conſulatûs in Syriam profectus dici poſſet, ubi Quirinus paulò jam ante Auguſti nomine & edicto deſcriptionem faciens eum expectababat, ab Conſiliis & moribus ei quaſi Magiſter datus: ſic enim Ioſephi teſtimonium, & fides hiſtoriæ Romanæ cum veritate Evangelica non incommodè poſſe conciliari videri poſſent. Et ita fere Heruuartus ait Caium anno Vrbis conditæ 754. Conſiliis Auguſti Romæ præfuiſſe, anno quo Herodes mortuus. Sed ego, ut dixi, teſtimonium caducum non moror: hæreo in veritate Evangelica.

Caio Conſule Conſiliis Reipublicæ præſidente.

Nov. Chronol. cap. 151.

IX. Circa defectionem porro illam Lunæ, quæ in ægrotatione Herodis à Ioſepho notatur, dico ſolùm Autores qui eam afferunt, & contigiſſe re vera aſſerunt, anno Iuliano 42. die 13. Martij, non majus præſidium inventuros in ea, quàm Scaligerum in ſua, quæ contigit anno Iuliano 45. die 8. Ianuarij: tertiam enim & valde commodam invenio 29. Decembris ejuſdem anni 45. Iuliani, quæ non minùs efficaciter probat mortem Herodis contigiſſe anno 46. Iuliano paulò ante Paſcha, & Chriſti

Eclipſis Lunæ mortem Herodis præcedens.

Nativitatem

Digitized by Google

Nativitatem 25. Decembris anni 45. Iuliani, eúmque ipſum annum quadrageſimum ſextum, qui eſt Æræ communis primus, eſſe primum quoque ætatis Chriſti.

Anno Iuliano 45. 29. Decembris.

Et hæc Lunæ defectio eò magis pertinere ad Chriſti Nativitatem videri debet, quò propior ei eſt, inter Nativitatem & Circunciſionem, ut utramque pari fere vicinitate conjungat, & faciat ut deinceps jure optimo anni Chriſti à Nativitate & à Circunciſione pro iiſdem habeantur.

Hujus Eclipſis Keplerus breviter, & quaſi aliud agens meminit, & ut ad ſuam ſententiam inutilem prętcrit. Meminit & P. Ricciolus in Novo Almageſto, ubi eam totalem & cum mora deſignat.

Lib. de anno Nat. Chriſti, cap. 9.

Tom. 1. part. 1. lib. 5. cap. 19. pag. 367.

Ego eam ad Tabularum Rudolphinarum calculum diligenter examinavi, & in Meridiano Ieroſolymitano invenio horâ 5. 14′. 44″. poſt Meridiem, duraſſe per hor. duas 41′. 20″. & poſt Solis occaſum videri potuiſſe per horam circiter unam & mediam, ac paulò ampliùs, ſummámque obſcurationem ad digitos 7. 45′. perveniſſe. Quæ infra etiam per epilogiſmos deſcribam.

Modò ſufficit quod ea det tempus idoneum longæ Herodis ægritudini conſtituendi multa, quæ ipſe ante mortem perfecit, & inter cętera Magorum miſſionem ad Chriſti adorationem, & innocentium cędem, pręter ea quæ Ioſephus deſcribit poſt Lunæ Eclipſim, videlicet profectionem ad balneas, Nobilium Iudęorum incarcerationem, Phariſęorum combuſtionem, & litterarum ab Auguſto pro filij morte adventum, quæ ſine dubio tres facilè menſes atque ampliùs implere potuerunt. Quod neceſſariò admittet Scaliger in ſua, Keplerus in ſua vix inveniet; ac ne vix quidem.

Cōmodè cum Chriſti Nativitate congruit.

Magis in ſpeciem difficilis opponitur locus Sancti Matthęi, ubi ait de Sancto Ioſepho: *Accepit puerum & matrem ejus, & ſeceſſit in Aegyptum; & erat ibi uſque ad obitum Herodis.* Et paulò poſt narrato Herodis obitu, ſtatim Angelus monet de diſceſſione ex Ægypto: quæ non videntur

Cap. 2.

Vnde Sanctus Hieronymus explicans quod ait ibi Sanctus Matthęus : *Vade in terram Iſraël, defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Ex hoc*, inquit, *loco intelligimus non ſolùm Herodem, ſed & Sacerdotes & Scribas, eodem tempore Chriſti mortem fuiſſe meditatos.* *Lib. 1. Com. in cap. 2. Matth. cap. 2.*

Et Sanctus Leo. *Ægypto Saluator illatus eſt, ut gens antiquis erroribus dedita jam ad vicinam ſalutem per occultam gratiam ſignaretur, & quæ nondum ejecerat ab animo ſuperſtitionem, jam hoſpitio reciperet veritatem.* *Serm. 2. de Epiphania.*

Et hæc difficultas communis eſt, & eodem modo ſolvenda omnibus qui Chriſti Circuncilionem, & mortem Herodis poſt illam in eodem anno ponunt, qui ſanè Autores ſunt bene multi, & graves.

IX. Cęterùm non meliùs concludi poſſe videtur caput hoc tertium de anno mortis Herodis in 1. Chriſti incurrente, quàm componendo annos vitæ Herodis cum annis vitæ Auguſti, & Iulianis, ex dictis toto hoc libro variis occaſionibus.

Vixit Herodes annis integris 70. Auguſtus 75. & aliquot menſibus. Herodes mortuus anno Iuliano 46. primo Æræ Chriſti & vulgatæ, natus ante primum Iulianum 25. ante primum Chriſti 70. Auguſtus natus ante primum Iulianum 16. ante primum Chriſti 61. mortuus anno 59. Iuliano, Æræ Chriſti 14. Herodes natus ante Auguſtum annis novem, Auguſtus Herodi ſupervixit annis tredecim & aliquot menſibus. Capta Ieroſolyma à Soſio, & initium regni Herodis Conſule M. Agrippa, anno 9. Iuliano, vitæ Herodis 34. vitæ Auguſti 25. mors Herodis poſt 37. regni annos vitæ 70. anno Iuliano 46. vitæ Auguſti 62. Æræ Chriſti primo. Ex quibus uno verbo concludes Chriſti Nativitatem in fine anni 45. Iuliani, & Circunciſionem initio 46. contigiſſe, completo anno 70. vitæ Herodis, regni 37. à Ieroſolymis à Soſio captis, Auguſti verò Imperij à morte Iulij fluente anno 44. vitæ 62. **Anni Herodis cum annis Auguſti compoſiti.**

Et quia hæc concluſio efficaciter, ni fallor, probata eſt toto hoc capite, & ab objectionibus contrariis vindicata; reſtat ut concluſio totius operis adhibeatur. Caput

Digitized by Google

vitæ annos tribuunt, ſtatuúntque ejus mortem anno 19. Tiberij, & Baptiſmum 30. vitæ anno inchoato, cum tribus annis & aliquot menſibus Evangelicæ Prędicationis: hi enim neceſſariò faciunt annum primum Chriſti concurrere cum Iuliano 46. quemadmodum 19. Tiberij in Paſchate concurrit cum Iuliano 78. Et ita inter Calendas Ianuarias anni 46. & Paſcha 78. id eſt, inter Circuncisionem & Mortem Chriſti fluunt exactè 32. integri vitæ Chriſti & Æræ communis, cum tribus pręterea menſibus. Eam Chronicum Alexandrinum expreſsè docet, ponens Chriſti Nativitatem in quarto anno Olympiadis 194. ſub Conſulatu Lentuli & Piſonis; Circuncisionem ſub Conſulatu C. Cęſaris & Pauli Æmilij; & Paſſionem anno 4. Olympiadis 202. anno 19. Tiberij, poſt tres annos & aliquot menſes Prędicationis, in quarto Paſchate. Et ad hanc ſententiam accommodatur facilè Sanctus Epiphanius, Georgius Syncellus, & quidam alij ut ſupra oſtendimus; qui ſi quid in annis Imperatorum, Conſulum, aut Olympiadum dicant, quod ei ſententiæ contrarium videatur, id errore vel vitio contra mentem irrepſit, & ad ſententiæ ac veritatis rectitudinem, ut nos fecimus, revocandum eſt.

Chronicum Alexandrinum. *Ad Olymp. 194.* *Ad Olymp. 202.* *Epiphanius. Syncellus.*

Ioannes Lucidus primum Chriſti annum à Calendis Ianuariis rite orditur. Olympiadis 194. anno quarto fluente, poſt Biſſextum, ſed non ita, Auguſti 43. ſimiliter currente: quemadmodum mortem Chriſti rectè ponit anno 33. inchoato, Olympiadis 202. anno quarto inchoato, poſt Biſſextum, ſed perperam anno Tiberij 18. inchoato.

Ioannes Lucidus corrigitur. *In Tab. fol. 113.* *Fol. 114.*

Rectè quoque cędem Cęſaris collocat anno 44. ante Chriſti Nativitatem, qui erat annus quartus Olympiadis 183. & 709. Vrbis conditæ: unde colligit Chriſtum natum anno quarto Olympiadis 194. Auguſti 42. fere completo, à primo ejus Conſulatu vel Triumviratu. Non rectè autem Cenſorinum arguit quòd annos Iulianos ab anno correcti Calendarij inchoet, qui fuit 45. ante Chriſti Nativitatem, non ab anno ſequenti ſcilicet promulga-

De vero die Paſſ. cap. 11.

Digitized by Google

tionis Calendarij, qui fuit 44. antequam Chriſtus naſceretur. Cauſa autem erroris Lucido fuit, quod annum quo ſcripſit Cenſorinus putaverit ipſe 239. Chriſti, Vlpio & Pontiano Conſulibus, cùm fuerit duntaxat 238. & ad ſui defenſionem fruſtra accuſat codices impreſſos, & manuſcriptos allegat. Sufficit ut Lucidus nobis aſſentiatur quod à nece Cęſaris Chriſti Nativitatem ponat in anno 44. qui à primo Conſulatu, ſeu Triumviratu Auguſti fuit 42. Olympiadis 194. anno quarto nondum finito. Quod autem putat Chriſtum natum die Dominico, 25. Decembris, in eo fallitur, quod ponat eo anno litteram Dominicalem B. Fuit enim duplex D G. utpote anni Biſſextilis; & dies Sabbati 25. Decembris, ut & anno ſequenti quo circunciſus eſt in Calend. Ianuariis, fuit prima dies Sabbati.

Cap. 12.

Vitio duorum annorum erravit Baronius in Chriſti Nativitate.

IV. Quartò, ſi corrigatur anticipatio inconſulta Baronij in duobus paribus Conſulum, quam ipſe poſtea alio vitio in pręciſione duorum parium correxit, facilè nobiſcum ſentiet, & annos Chriſti & Æræ communis, quos ſemper junxit, ſimul inchoabit in anno Iuliano 46. & finiet in 78. ſi modò Chriſti Baptiſmum ut commodè potuit, & debuit, in anno 30. inchoato, non verò in 31. collocet.

Et ſimiliter Scaliger ſuperfluo labore.

V. Quintò, ſi ſimilis anticipatio biennij tollatur cum ſuperfluo labore, quem adhibuit Scaliger in excogitandis quinque Paſchatis Pręedicationis Evangelicæ, & ponatur Baptiſmus Chriſti non ipſo 15. Tiberij, ſed in 16. ut facilè Evangelium permittit, ſentiet nobiſcum Scaliger; & ſicut nobiſcum poſuit mortem Chriſti in anno Iuliano 78. ita Circunciſionem in anno 46. Iuliano collocabit, cum perfecta conſenſione annorum Chriſti & Æræ communis, & tota vita Chriſti ſolis 33. inchoatis, non 35. circunſcripta. Et nobiſcum utetur defectione Lunæ, quæ Decembris 29. anni Iuliani 45. contigit, pro aſſerenda Herodis morte, & eam ſi velit relinquet, quam eodem anno menſi Ianuario aſcribit.

VI. Sextò

VI. Sextò, hæc ſententia Chriſtum conſtituit in media ætate mortuum anno 33. inchoato, vitans extrema quæ multi arguunt, inter minorem 30. annorum, & majorem 37. quam quidam illi tribuunt; & recedit ab incommodis quæ in aliis opinionibus inveniuntur, nullàque propria habet, à quibus non facili negotio ſe expediat.

Hæc ſententia media eſt, & caret erroribus extremarum.

VII. Septimò, habet conſenſum adverſariorum. Nam Petavius, doctiſſimus omnium qui Dekerij ſententiam ſecuti ſunt, poſtquam retulit argumenta quæ pro fundanda & ſtabilienda ea ſententia faciunt, ſic diſputationem totam concludit. *Ad ſummam, ut huic de anno Natali Chriſti diſputationi modum aliquem ſtatuamus, nobis ita ſentiendum videtur. Sepoſitâ quidem Ioſephi, Dionis, & id genus antiquiorum autoritate Scriptorum, communem Æram hac unica ratione poſſe defendi: Chriſtum enim natum tueri poſſumus anno Iuliano 45. Lentulo & Piſone Coſſ. biennio poſt Baronianam Epocham. Eundem porro baptizatum aſſeremus anno Iuliano 75. Longino & Quintino Coſſ.* (Quintinum poſuit pro Quartino) *expleto nono ac viceſimo ætatis anno, ineunte 30.* Hæc ille in defenſionem Æræ communis & Chriſti planè ad noſtram mentem, qui & variis occaſionibus eam commendat, & retinendam perſuadet; quia preteritarum rerum memoriam uſu jam inveteratam continet, & undecunque ducatur, nihil ad veritatis fidem intereſt. Quod alij fere omnes faciunt. Vnde Scaliger de Æra communi, quam malè Dionyſianam vocat, cùm ſit minor unitate quàm Dionyſiana, ait. *Hæc Epocha Dionyſiana nobis conſeruauit memoriam annorum plus minùs nongentorum, quo nomine in uſu retinenda eſt.* Et Keplerus negat perſuadendum Chriſtianorum orbi ut Æram huc uſque perductam emendent; quæ infinitas huc uſque prębuit utilitates, nec ſine magna perturbatione negotiorum ſpiritualium & temporalium deponi, aut mutari poſſet. Voſſius quoque de Æra communi, ſic habet. Quanquam ſatis luceat biennio minimùm peccare Æram vulgarem, non propterea tamen ab ea deinceps recedendum, ſive in privatis literis aut

Adverſarij ei conſentiunt.
In Animadu ad hereſim 51. Epiphanij.
De doct. Temp. lib. 12. cap. 6.

Petavius.

Ibidem, cap. 4.

Scaliger
Animad. in Euſeb num. 2016.

Keplerus
Lib de Anno Natali Chriſti, cap. ult.

Voſſius
Differt de Anno Natali Chriſti, theſ. 44.

Digitized by Google

contractibus, ſive Principum edictis, aut Eccleſiæ Conciliis, aliisve publicis inſtrumentis: nam quia mille ampliùs annis hæc via in uſu fuit, ac ſecundum hanc Hiſtorici etiam, & alii Scriptores, annos ſuos numerarunt; immutatio iſtius Æræ magnam pareret rerum pene omnium mutationem. Non modò ergo ſepoſitâ, ut loquitur Petavius, Verum, etiam deſtructâ Ioſephi & Dionis autoritate, quod nos effecimus, planè conſtabit Æram vulgarem retinendam, & meritò defendendam eſſe.

Methodus Dionyſiana ad Incarnationem Chriſti aptata.

VIII. Octavò denique, Methodus hæc numerandi annos Chriſti eſt in uſu, communi jam per mille atque ampliùs annos approbatione quaſi confirmata. Inventa eſt primùm à Dionyſio Exiguo, & ad annum Incarnationis accommodata, cum Cyclis, Feriis, & Indictionibus jam uſu receptis, ſolo mutato Cyclo Lunæ decemnovennali, & numero ejus primo ad Cyclum Solis 9. jam uſitatum accommodato, factique Periodo annorum 532. ex multiplicatione Cycli Solaris 28. per Cyclum Lunæ 19. recurrentibus ordine legitimo Noviluniis ad eoſdem anni, menſis, & hebdomadis dies; itémque Paſchate, & aliis Feſtis mobilibus.

A Beda recognita, & ad Nativitatem accommodata.

Hanc methodum Beda ducentis fere poſt annis recognovit, & ad annum Nativitatis accommodavit, ideo ſolùm, quia viſus eſt primus Chriſti annus numerandus potiùs à Nativitate, quâ editus in lucem eſt; quam ab Incarnatione, poſt quam adhuc per reliquum fere totum annum Virginalis uteri clauſtris incluſus fuit. Nativitas autem cum Circunciſione propter vicinitatem facilè conjungitur, & à Calendis Ianuariis primus Chriſti & Æræ communis annus exordium ducit, relictis omnibus quæ in methodo Dionyſij uſitata jam erant; hoc ſolo mutato, quòd primus annus Æræ Chriſti nominatur, qui à Dionyſio ſecundus: & ita à ſequentibus Dionyſianis unitate detractâ.

Communis eſt Eccleſiæ Romanæ.

Hanc methodum jam tota Eccleſia ubique obſervat, & ut docet Beda, Romana ſemper poſt ejus inventionem tenuit

Digitized by Google

tenuit, & in ſuis cereis Paſchalibus expreſſit, deſignando annos à Paſſione Domini detractis triginta tribus à Nativitate. Et licet Gallia Chriſti annos diu ab Incarnatione numeraverit, & annum à Paſchate orſa ſit, idque in Actis publicis à Notariis uſurparetur; poſtea tamen mutatum eſt, & ut incommodum, Edicto Caroli Noni prohibitum eſt, & imperatum, omnes ut à Calendis Ianuariis annum deinceps inchoarent.

Quod ſi quidam à Paſſione Chriſti annos numerant, res fere eodem redit, ſi legitimum Paſſionis annum 33. à Nativitate definiant: ſin autem alium, mirum non eſt ſi à vero ſępe aberrent.

Nulla cauſa recedendi à communi Eccleſiæ ratione in Chriſti Nativitate.

Vnde meritò pronuncio eos, qui ab Eccleſiæ communi hac ſententia recedunt, id facere vel errore, ut Baronium, qui alio errore in viam redire cogitur; vel ſuperfluo labore, ut Scaligerum, qui quinque Paſchata ponit ſine neceſſitate, & Chriſti Nativitatem alieno tempore prævertit; vel falſi teſtimonij autoritate, ut Dekerium, Keplerum, Petavium, & alios, quos Dio & Ioſephus fefellit: ideòque nullam cauſam eſſe, cur in annis Chriſti à communi Æra recedatur; multas eſſe, cur in ea conſiſtatur.

His ego argumentis, niſi me meà fallit opinio, prorſus efficacibus perſuaſus, credo me confeciſſe quod ſuſceperam, & aliis quoque poſſe perſuadere, probabiliter valde poſſe defendi perfectam conſenſionem annorum Chriſti & Æræ communis; adeòque jam examinatis omnem in partem rationum & autoritatum momentis cum magna diligentia, confirmor, ut non dubitem profiteri videri eam qualibet alia ſententia probabiliorem, & magis recipiendam, maximè ſi à Morte potiùs quàm à Nativitate Chriſti totius quæſtionis examen inchoetur: ſive quia characteres ſunt magis certi, & fideles, pro Chriſti Morte quàm pro Nativitate, ad certum annum affigenda: ſive quia video eos qui maximè recedunt ab anno 33. vitæ Chriſti Paſſioni aſſignando, in eo ſe præcipuè obfirmare, quia ſunt jam determinati in anno Nativitatis, quem intelligunt

Inchoanda quæſtio potiùs à Morte, quàm à Nativitate Chriſti.

Digitized by Google

intelligunt cum eo anno Mortis non poſſe convenire. Quare ſum autor omnibus qui de hac quæſtione bene opinari voluerint, ut a Paſſionis anno potiùs quàm Nativitatis examinationem inſtituant; certioribus enim inſtructi rationibus circa verum Paſſionis & Baptiſmi annum, ſolidiùs judicabunt de minùs certis & magis dubiis, quæ in definiendo Nativitatis anno occurrunt.

In annis Conſulum non multum fidei.

Moneo prẹterea ut in annis Conſulum non multum fidei aut certitudinis habeatur: tanta eſt enim in eis referendis Autorum varietas & confuſio, ut nulli certò credi poſſit. Alios nominant Faſti Capitolini, alios Sigonius, alios Onuphrius, alios alij; poſt longas & exactas diſputationes, nullus rem vacuam erroris periculo relinquit.

De Doct. Chriſt. lib. 2. cap. 28.

Et quamvis veriſſime dixerit Auguſtinus: *Per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis; & ignorantia Conſulatûs quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coëgit errare*; non minùs tamen promptum eſt errare per falſos Conſules, quàm dirigi per veros. Et ipſe D. Auguſtinus, qui

Tract. 23. in Ioan.

ſatis liberè profitetur *apparere quo Conſule, quo die conceptum de Spiritu Sancto Virgo Maria peperit Chriſtum*; ipſe inquam in Conſulibus, quibus ait mortuum Chriſtum, vehementer falſus eſt, cum eos Geminos aſſeruit; & ex conſequenti Chriſtum mortuum voluit anno ætatis 30. inter

Lib. 18. de Civit. cap. ult.

ejus Nativitatem & Paſſionem annos ſolùm triginta enumerans in Epiſtola ad Heſychium, ubi ait: *A Nativitate Domini computantur anni ferme* 420. *à Reſurrectione autem anni plus minùs* 390. in qua incertitudine circa terminos, certum numerum intermedium 30. annorum comprehendit, ex ignoratione, ut dixi, & incertitudine Conſulum.

Epiſt. 80.

Magis certi Imperatorum anni.

Commodior eſt via per annos Imperatorum, & omnino certa circa tempora Chriſti in annis Iulij, Auguſti, & Tiberij, ſi annos ineas ſucceſſorum à die obitûs anteceſſorum.

Anni Olympiadum omnino certi, & anni Vrbis iis conjuncti.

Anni Olympiadum omnino certi ſunt & tuti, & anni Vrbis conditæ cum iis currentes ſecundùm ſupputationem Varonis & Cenſorini, ſumptis initiis, vel ab Æſtivo Sol-ſtitio

Digitized by Google

ſtitio, pro Olympiadicis; vel à Palilibus Vrbis natalibus, pro annis Vrbis conditæ.

Anni Iuliani, & Æræ communis, ſeu Chriſti, prout eos modò compoſuimus, ſunt omnium tutiſſimi & certiſſimi, inchoandi à Calendis Ianuariis, & ad omnia tempora poſt & ante extendendi.

Anni Iuliani, & Æræ communis, tutiſſimi.

X. De die porro quo Chriſtus natus eſt longiorem hic non inſtituo diſputationem, & ſuppono contra Scaligerum & ſectarios, antiquum Eccleſiæ & Patrum ſenſum de 25. die Decembris, miraculis etiam, ut nonnulli volunt, roſarum florentium confirmato. Aſſero autem diem hebdomadæ ſeptimum, ſeu Sabbatum, ex anno Iuliano 45. ex neceſſitate conſequentem. Cyclus enim Solis 9. illius anni cum littera Dominicali gemina D C. diem Sabbati in 25. Decembris notat, ut & poſt octo dies Chriſti Circuncifio in diem Sabbati cadet. Vnde etiam ſi placet colliges diem Incarnationis 25. Martij ejuſdem anni 45. factam feria 5. & Baptiſmum die 6. Ianuarij anno Chriſti 30. littera Dominicali A. Cyclo Solis 11. factum feria 6. & Mortem die 3. Aprilis anno 33. Chriſti, Cyclo Solis 14. littera Dominicali D. feria quoque 6. Hæc enim neceſſariò connexa ſunt. Et ſi qui ex Patribus & Doctoribus aliter circa dies iſtos dixerint, ex ignoratione anni dixerunt.

Die Sabbati natus eſt Chriſtus, & circunciſus.

Incarnatus feria 5.

Baptizatus & mortuus feria 6.

Ceterùm ad ſuperiorum intelligentiam, & facilem Noviluniorum, Pleniluniorum, & ipſius diei Paſchæ inventionem, commodus videtur uſus Tabulæ ſequentis, per annos Chriſti, litteras Dominicales, & Cyclos Æræ communis ordinatæ.

Digitized by Google

TABELLA ANNORUM XXXIII.

Vitæ Chriſti, & Æræ com.

Æræ com. & Chriſti.	Iuliani.	*Olymp.*	*Vrb. C.*	*Imper. Auguſti.*	*Conſules.*	*Cycli* ☾	✳	
Circũciſio. 1. 1. *Ianuar.*	46. *feria* 7.	195. 1.	754.	45.	*C. Iul. Cæſar. Æmil. Paul.*	2.	10.	B.
2.	47.	2.	755.	46.	P. Vinic. Nepos *P. Alf. Varus*	3.	11.	A.
3.	48.	3.	756.	47.	*Æliꝰ Lamia Seru. Gemin.*	4.	12.	G.
4.	49.	4.	757.	48.	*Ælius Catus Sent. Saturn.*	5.	13.	FE.
5.	50.	196. 1.	758.	49.	*Valer. Meſſ. Corn. Cinna*	6.	14.	D.
6.	51.	2.	759.	50.	*Æmil. Lepid. Arunt.* Nepos	7.	15.	C.
7.	52.	3.	760.	51.	*Cæcil.* Metell. *Licin. Nerua*	8.	16.	B.
8.	53.	4.	761.	52.	*Fur. Camillus* Nonius *Quĩtil.*	9.	17.	AG.
9.	54.	197. 1.	762.	53.	*Sulp. Camer. Popp. Sabinus*	10.	18.	F.
10.	55.	2.	763.	54.	*Corn.* Dolabel. *Iul. Silanus*	11.	19.	E.
11.	56.	3.	764.	55.	*Æmil. Lepid. Stat. Taurus*	12.	20.	D.

TABELLA

Digitized by Google

TABELLA ANNORVM XXXIII.
Vitæ Chriſti, & Æra com.

Æra com. & Chriſti.	Iuliani.	Olymp.	Vrb. C.	Imper. Auguſti.	Conſules.	Cycli		
						☾	✳	
12.	57.	197. 4.	765.	56.	German. Cæſ. Font. Capito.	13.	21.	CB.
13.	58.	198. 1.	766.	57.	Silius Nepos Munat. Planc.	14.	22.	A.
14.	59.	2.	767.	Mors Aug. 14 Cal. Sept Tiberij 1.	Ambo Sexti	15.	23.	G.
15.	60.	3.	768.	2.	Druſus Cæſar Norb. Flac.	16.	24.	F.
16.	61.	4.	769.	3.	Stat. Taurus Scrib. Libo.	17.	25.	ED.
17.	62.	199. 1.	770.	4.	Cæl. Rufus Pomp. Flacc°	18.	26.	C.
18.	63.	2.	771.	5.	Nero Cæſar Germ. Cæſar	19.	27.	B.
19.	64.	3.	772.	6.	Iuni° Silanus Norb. Flaccus	1.	28.	A.
20.	65.	4.	773.	7.	Valer. Meſſal. Aurel. Cotta	2.	1.	GF.
21.	66.	200. 1.	774.	8.	Tiberius 4. Druſus 2.	3.	2.	E.
22.	67.	2.	775.	9.	Sulpit. Galba Hater. Agrip.	4.	3.	D.

Digitized by Google

TABELLA ANNORVM XXXIII.

Vitæ Chriſti, & Æræ com.

Æræ com. & Chriſti.	Iuliani.	Olymp.	Vrb. C.	Imper. Tiberij.	Conſules.	Cycli ☾	*	
23.	68.	200. 3.	776.	10.	Aſiniꝰ Pollio Antiſt. Vetus	5.	4.	C.
24.	69.	4.	777.	11.	Corn. Cethegꝰ Vitel. Varro	6.	5.	BA.
25.	70.	201. 1.	778.	12.	Lentul. Iſaur. Aſin. Agrip.	7.	6.	G.
26.	71.	2.	779.	13.	Corn. Lentul. Caluiſ. Sabinꝰ	8.	7.	F.
27.	72.	3.	780.	14.	Licin. Craſſus Calpurn. Piſo	9.	8.	E.
28.	73.	4.	781.	15.	Iuniꝰ Silanus Silius Nerua	10.	9.	DC.
29.	74.	202. 1.	782.	16.	Ambo Gemini	11.	10.	B.
Baptiſmꝰ. 30. 6. Ianuar.	75. feria 6.	2.	783.	17.	Vin. Quartin. Caſſiꝰ Lōginꝰ	12.	11.	A.
31.	76.	3.	784.	18.	Tiberius 5. Ælius Sejanus	13.	12.	G.
32.	77.	4.	785.	19.	Dom. Ahenob. A. Vitellius	14.	13.	FE.
Paſſio 33. 3. April.	78. feria 6.	nondum finitus.	nondum finitus.	nondum finitus.	Sulpic. Galba Cornel. Sulla	15.	14.	D.

CAPVT V.

CAPVT QVINTVM.

Connexio Temporum cum annis Chriſti.

SPECTAT ſanè ad Regis Chriſti gloriam, ut ad eum per quem facta ſunt tempora, tempora quoque ipſa revocentur; & ut is, qui factus eſt in medio temporum, quaſi menſura temporum, pręterita cum futuris, & inferiora cum ſuperioribus, certa lege & firmitate connectat.

SYNOPSIS TEMPORVM AD PRIMVM CHRISTI annum reuocatorum.

Mundi creatio	concurrit cum anno ante Chriſtum natum.	4041.
Finis Diluvij		2385.
Primus Abrahæ		2003.
Annus Exodi		1498.
Fundatio Templi		1019.
Primus Iphiti, initium Olymp.		776.
Romæ conditio		753.
Primus Nabonaſſari		748.
Excidium Ieroſolymorum		589.
Primus Cyri in Perſis		559.
Primus Darij		521.
Viceſimus Artaxerxis, initium 70. hebdom. Daniel.		455.
Mors Alexandri		324.
Primus Iulianus		45.
Mors Iulij Cęſaris, & primus Auguſti.		44.

Digitized by Google

VICE VERSA AD NVMEROS PRIORES additâ unitate, primus Chriſti annus concurrit cum anno

Ab orbe condito	4042.
A diluvio	2386.
Ab ortu Abrahæ	2004.
Ab Exodo	1499.
A Templo fundato	1020.
A primo Iphiti, ſeu initio Olympiadum	777.
Ab Vrbe condita	754.
A primo Nabonaſſari	749.
Ab excidio Ieroſol.	590.
A 1. Cyri in Perſis	560.
A primo Darij	522.
A viceſimo Artaxerxis, ſeu initio 70. hebd.	456.
A morte Alexandri	325.

Poſt Chriſtum natum contigit

	anno
Mors Auguſti, & primus Tiberij	14.
Baptiſmus Chriſti	30.
Paſſio Chriſti	33.
Capta Ieroſolyma	70.
Æra Martyrum, ſeu Diocletiani	285.
Synodus Nicena	325.
Mors Conſtantini	337.

His adjungere pleraque poſſem, quæ conſequentibus acta ſunt temporibus, immo etiam variis tam ante quàm poſt Chriſtum intervallis, ad quorum exactam probationem habeo in manibus planè confectum Tractatum Chronologicum, qui, ſi iſte placeat, brevi lucem aſpiciet. Modò ſufficiet

Digitized by Google

Compoſitio ſtatûs Cœli præſentis temporis cum tempore Mortis & Natiuitatis Chriſti.

TEMPVS pręſens appello annum quo iſta conſcribere cœpimus, Æræ communis citra omnem controverſiam milleſimum & quinquageſimum quartum, menſemque Auguſtum, in quo menſe duæ Eclipſes viſæ ſunt; altera Solis, die 12. altera Lunæ, die 27. Statum verò Cœli eum eſſe volo, qui Solem, Lunam, & alios quinque Planetas propriis locis affigat, ad deſignatum momentum, in quo tempora componuntur.

Ex compoſitione autem, ſive collatione temporum, quam hic inſtituo, conſtabit clariſſimè & Æram communem eſſe in ſeipſa legitimam, & cum ea Chriſti Mortem & diem Natalem exactiſſimè convenire. Nam ex certa conſtantique motuum cœleſtium obſervatione conſtat Novilunium Eclipticum, & Plenilunium quoque Eclipticum, quæ contigerunt menſe Auguſto illius anni 1654. à Plenilunio Ecliptico quod factum eſt die 29. Decembris inter Nativitatem & Circuncißionem Chriſti, diſtare annis mille ſexcentis quinquaginta tribus, & aliquot pręterea menſibus.

Quod eodem modo judicandum de Plenilunio Ecliptico facto tertia die Aprilis, quo Chriſti Mors contigit; diſtat enim à Plenilunio facto paulo poſt Nativitatem, annis 32. menſibus tribus, & diebus circiter quinque: à poſteriori verò tum Plenilunio, tum Novilunio, annis 1621. & menſibus circiter quatuor.

Ex quibus patet nos rectè numerare à capite Æræ communis annum prędictum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum quartum, & rectè poſitum eſſe ejuſdem Æræ caput in Calendis Ianuariis Plenilunium illud Eclipticum proximè conſequentibus, rectè denique annos Æræ communis & Chriſti pro iiſdem numerandos.

In quorum fidem nec inutile, nec injucundum fore videbitur, ſi quatuor illarum Solis & Lunæ defectionum Epilogiſmos, & totius Cœli ſtatum aſtronomicè deſcribamus.

Epilogiſmus

EPILOGISMVS ECLIPSIS SOLIS QVÆ FACTA EST die Auguſti 12. anno 1654. ſecundùm Tabulas Rudolphinas ad Meridianum Pariſienſem reuocatas.

NOVILVNIVM MEDIVM.

	D. H. ′ ″
Auguſti	2. 11. 0. 4.

	S. G. ′ ″		S. G. ′ ″
Verus locus Solis	4. 20. 2. 30.	Fictus locus Lunæ	4.26.17.11.
Diſtantia Luminarium		Tempus Proſthaph.	H. ′ ″
Luna longiùs progreſſa	6. 14.41.	ſubſtrah.	12. 5. 50.

NOVILVNIVM VERVM.

D. H. ′ ″
1. 22. 54. 14.

Verus locus Luminarium		Verum Novilunium	
perfectè emendatus	S. G. ′ ″	emendatum &	D. H. ′ ″
& correctus	4.19.33.54.	correctum	1.23. 6. 1.
æquatio completa temporis,	′ ″	Verum Novil. perfectè æquatum	
tollenda	4. 4.	tempore Phyſico	1.23. 1.57.
Reductio ad Merid. Pariſ.	′ ″	Vera Synodus Pariſ.	1.22.21.57.
ſublatis	40. 0.		

Tres priores Parallaxes.		*Tres poſteriores Parallaxes.*	
	S.G. ′ ″		S. G. ′ ″
Altitudinis	0.0.39.0.	Altitudinis	0. 0. 43. 0.
Longitudinis	27.0.	Longitudinis	34. 0.
Latitudinis	28.4.	Latitudinis	26.34.
Primum Tempus		Secundum Tempus	H. ′ ″
Parallacticum	49.0.	Parallacticum	1. 6. 0.
Viſa Synodus minùs	D. H. ′ ″	Viſa synod. accurata	D. H. ′ ″
accurata	1.21.32.57.	currente Auguſti	1.21.15.57.

LATITVDO


Digitized by Google

LATITVDO LVNÆ.				*QVANTITAS ECLIPSIS.*	
Verus locus Lunæ emendatus & correctus	S. G. ′ ″ 4. 18. 55. 0.				′ ″
Hinc tolle locum Nodi Aſcend. ☊. correctum	10. 25. 27. 0.			Summa ſemidiamet.	30. 59.
Reſtat verus motus latitudinis Lunæ	5. 23. 28. 0.			Tolle latitud. viſam	10. 5.
Vera latitudo Borealis	36. 8.			Reſtant	20. 54.
Tertia Parallax. latitud.	26. 3.			Id eſt,	1254″.
Viſa latitudo Borealis	10. 5.			Vnde fiunt digiti 8. 20′.	
				DVRATIO.	′ ″
				Scrupula mediæ durat.	29. 17.
				Tertia Parallax. longit.	36. 0.
				Tempus Incidentiæ, & caſu, Emerſionis	H. ′ ″ 1. 10. 13.
				Integra duratio	2. 20. 26.

		Stilo vetere currente die poſt Merid. D. H. ′ ″	*Stilo nouo ſublatis decem diebus currente die poſt med. noctē.*
Initium	Auguſti.	1. 20. 5. 44.	12. 8. 5. 44.
Medium		1. 21. 15. 57.	12. 9. 15. 57.
Finis		1. 22. 26. 10.	12. 10. 26. 10.

TYPVS ECLIPSEOS.

SEPTENTRIO.



☋. ORIENS.

☊. OCCIDENS.

MERIDIES.

PROBATIO.

Per Quadrata.

In Triangulo A B C. Rectangulo in A.

	' "	*Radix.*	*Quadratū.*
BC. Summa ſem.	30.59.	1859.	3455881.
AB. Latitudo viſa	10. 5.	605.	366025.
Tolle minus à majori, Reſtat			3089856.

Per 47. 1. Elem.
Cujus radix AC. 29.17. 1757.
dat ſcrupula mediæ durat.

Per Logarithmos.


	1859.	
	605.	
Summa.	2464.	33916407.
Differ.	1254.	30982975.
Summa.		64899382.
Med. pars Sūm.		32449691.
1757. *ſcrupula med. durat.*		

Et hæc fuit celeberrima illa Solis Eclipſis, de qua tam multi ſermones per totam fere Galliam ſparſi ſunt, quæ & vulgò cum terrore tanto expectata eſt, ob imperita quædam ejus prꝿſagia, quæ nomine quorundam Aſtrologorum circumferebantur, & prꝿdicabant eam in illo tempore & ſtatu cœli quo fiebat, horribiles admodum effectus habituram; immo etiam portendere univerſalem mundi cladem intra duos annos conſecuturam, anno ſcilicet 1656. pari intervallo poſt Chriſtum natum, quo factum fuerat generale diluvium poſt orbem conditum. Qui terrores etiamſi vani, ut eos modò poſt ſeptem annos videmus, hoc certè boni peperere, quòd multi ſe quaſi ad inſtantem mortem Confeſſione peccatorum diligenti, & utplurimùm generali, ac bonis operibus prꝿpararunt.

Ad hanc Solis Eclipſin jungenda videtur alia Lunæ, eodem menſe Auguſto facta, ut ex exacto ſitu utriuſque Luminaris perfecta ratio temporis ad inſtans Mortis & Nativitatis Chriſti Domini examinata, magis certa & conſtans habeatur.

POSITIO

Digitized by Google



Latitudo Planetarum.

☽. Lunæ vera Boreal.	36'. 8".
Viſa Boreal.	10. 5.
♄. Saturni Borealis	1. 23'. 48".
♃. Iovis Auſtralis	1. 30. 56.
♂. Martis Borealis	1. 8. 0.
♀. Veneris Auſtralis	1. 43. 15.
☿. Mercurij Auſtralis	1. 11. 14.


His jungebantur ex præcipuis fixis.

Spica Virginis	*in domo* 1.
Arcturus	12.
Cor & Cauda Leonis	11.
Canis minor	10.
Canis major, Orion fere totus, & Capella	9.
Orionis pes ſiniſter, & Oculus Tauri	8.

TYPUS ECLIPSEOS.

SEPTENTRIO.

♉ · ORIENS. OCCIDENS. ♌.



MERIDIES.

PROBATIO.

PER QUADRATA.

In Triangulo A B C. Rectangulo in B.

' " *Radix. Quadratū.*

AC.Summa ſem.62.13.3733.13935289.
AB.Arc° int.cent.54.33.3273.10712529.

Tolle minus à majori, reſtat
BC.ſcrup.med.dur.29.55.1795. 3222760.
Per 47. lib. 1. Euclid.

PER LOGARITHMOS.

	3733.	
	3273.	
Summa.	7006.	38454701.
Differ.	460.	26627578.
	Summa.	65082279.
Med.pars Sūm.		32541139½.
1795.		

Digitized by Google

PLENILVNIVM PASCHALE ECLIPTICVM, *anno Chriſti 33. die 3. Aprilis, ipſo die Paſsionis.*

Ex Tabulis Rudolphinis ad Meridianum Ieroſolymitanum.

Plenilunium Medium.

	D. H. ′ ″
Aprilis	2.17.22.59.
Ad hoc momentum	S. G. ′ ″
Verus locus Solis	0.11.14.17.
Centrum Vmbræ	6.11.14.17.
Fictus locus Lunæ	6. 6.43.32.
Cent. Vmbræ it longiꝰ	4.30.45.
Temp. proſth. add.	H. 8.31′.19″.

Plenilunium Verum.

Aprilis *D.* 3. *H.* 1.54′.18″.

Ad correctionem motûs.

Pro Sole.

Additis ad cent. Vmb.	20′.36″.
Cent. Vmb. cor.	S. 6. G. 11.34.53.

Pro Luna.

Additis ad Lunæ locum	4.21.23.
Fit fictꝰ Lunæ locꝰ	6.11. 4.55.
Cent. Vmbræ it longiùs	29.58.
Ad correctionẽ tẽporis.	H. ′ ″
Correctio	1. 3.23.
Addita ad ver. plenil. D. H. ′ ″ jam habitum	3. 1.54.18.
Fit Plenil. correct.	3. 2.57.41.

Pro hac corr. temporis addenda ad centrum Vmb. iterum 2. 33.
Et ad locum Lunæ 32. 24.
Et fit locꝰ cent. perf. S. G. ′ ″ correctus 6.11.37.26.
Et locꝰ Lunæ fict. cor. 6.11.37.19
Centrum it longiùs ſolùm 7″.

Pro Æquatione temporis.

Addenda ad Plenilunium jam habitum, 10′.48″.
Plenil. perf. æquatum D. H. ′ ″ tempore Phyſico 3. 3. 8.59.

Pro Latitudine.

	S. G. ′ ″
Cent. umb. perf. cor.	6.11.37.26.
Loc. Nodi ☊ per. cor. o.	4.59. 9.

Tolle hunc ab illo, reſtat

Verus motus latit.	6. 6.38.17.
Tolle 6. ſigna, reſt. diſt. à proximo Nodo, unde fit	6.38.17.
Arcus inter cent. Auſtral.	36.26.

Pro Quantitate.

Ex ſumma ſemidd.	59′.53″.
Tolle arcum int. centra	36.26.
Reſtat quantitas in ſcrup.	23.27.
Vnde fit in Digitis	9.18′.

Pro Duratione.

Scrupula mediæ durat.	47. 32.
Tempus med. durat.	H. 1.41′. 1″.
Integra duratio	3.22. 2.
Ieroſolymis adde	2.16. 0.

Dabitur Eclipſis. H. ′ ″


Initium	April. 3.	3.43.28.
Medium	April. 3.	5.24.29.
Finis	April. 3.	7. 5.30.

Poſt Meridiem.

Digitized by Google

TYPVS ECLIPSEOS.

SEPTENTRIO.

☊. ORIENS.  OCCIDENS. ☋.

MERIDIES.

PROBATIO.

PER QVADRATA.

In Triangulo A B C. Rectangulo in B.

' '' *Radix. Quadratũ.*

AC.Summa ſem.59.53.3593.12909649.
AB.Arc° int.cent.36.26.2186. 4778596.

Tolle minus à majori, reſtat 8131053.
Cujus Radix 47'. 32''. 2852. dat
BC. ſcrupula mediæ durationis.
Per 47. lib. 1. Euclid.

PER LOGARITHMOS.

3593.
2186.


Summa. 5779. 37618527.
Differ. 1407. 31482941.

Summa. 69101468.

Med.pars Sũm. 34550734.
2852. ſcrup.med. dur.

Defectio Lunæ hic explicata videri cœpit Ieroſolymis circa Solis occaſum, medio circiter horæ quadrante poſt ſextam Aſtronomicam, cùm jam per tres quadrantes Luna ex umbra terræ, & media ſua obſcuratione emergere cœpiſſet, & per horam fere integram adhuc obſcurata apparuit, donec ſe tandem omnino ſubduxit è tenebris poſt horam 7. ipſo die Paſſionis Chriſti Domini.

Digitized by Google



Latitudo Planetarum.

☾. Auſtralis	*Grad.*	0. 34'.22''.
♄. Borealis		0. 26. 27.
♃. Auſtralis		0. 19. 0.
♂. Borealis		9. 4. 12.
♀. Borealis		4. 47. 50.
☿. Auſtralis		8. 6. 46.

His jungebantur ex præcipuis fixis.

Cauda Leonis	*in domo* 1.
Cor Leonis	12.
Canis uterque, Cor Scorpij, & tota major Vrſa	11.
Oculus Tauri, Capella, & totus fere Orion	10.
Caput Meduſæ, Caſſiopæia	9.
Cygnus	7.

Duæ

Duæ ſunt iſtæ defectiones Luminarium, quæ contigerunt in morte Chriſti: altera Solis planè præter naturam & rationem motûs Lunæ, per totam cœli diametrum, in Plenil. ad Solem accedentis breviſſimo temporis ſpatio, & ratione modi quo Luna Solem ſubiit, à parte Orientali uſque ad Occidentalem, & regreſſa eſt ab Occidentali ad Orientalem, & ratione durationis per tres horas, & ratione extenſionis factis tenebris per univerſam terram. Hæc enim omnia manifeſta ſunt contra leges ordinarias Eclipſium. Sed hoc voluit eſſe Deus Pater Divinitatis Filij ſui teſtimonium generale, ut qui pro totius mundi redemptione moreretur, ſignum ſuæ mortis evidentiſſimum per totum mundum daret; quamvis multi ex cæcitate illud non obſervarent, vel viſum, quid portenderet ignorarent; multi ne Chriſti Divinitati faveret, notum celarent. Vnde meritò Divus Auguſtinus. *Solis*, inquit, *ille defectus, quando crucifixus eſt Chriſtus, non talis ut reliqui Solis defectus fuit, ſed verè mirabiliter prodigioſus. Sed Ethnicorum Romanorum invidiâ, ne Cœlum doluiſſe Chriſti velut Diuini viri mortem putaretur, id quidem ſcrptum habuêre in Annalibus, ſed euulgari vetuerunt*, Quibus alludit ad teſtimonium Phlegontis, de quo ſupra egimus. Quod ipſum teſtimonium & ex antiquis Tertullianus, Origenes & Euſebius agnoverunt; & ex recentioribus Eclipſeos illius miraculum in Divinitatis Chriſti teſtimonium poſt Sanctum Dionyſium celeberrimi quique, & inter cæteros egregiè Bellarminus ex multis circunſtantiis prodigioſæ iſtius Eclipſis convictionem Divinitatis Chriſti contra Iudæos & Infideles aſſumit.

Epiſt. 80. ad Heſychium.

In Apolog. in Matth. tract. 35.

Et lib. 2. cõtra Celſum.


In Chron.

Epiſt. 7. ad Polycarp. & 11. ad Apoll.

Lib. de 7. verb. Domini.

Altera defectio Lunæ naturalis quidem fuit, & ſecundùm leges motuum cœleſtium ordinata in vero Plenilunio Ecliptico; ſed in ejus aſpectu non dubito quin Antipodes, & Periœci Ieroſolymitanis, aliique qui ejus lumine fruebantur in eodem Plenilunio vehementer attoniti & conturbati fuerint, cùm viderunt plenam Lunam ſibi momento eripi, & versùs Orientem magnâ celeritate ferri,

& poſt



Latitudo Planetarum.	
☽. Borealis	*Grad.* 4. 10′. 0″.
♄. Auſtralis	1. 23
♃. Borealis	3. 4. 45.
♂. Borealis	6. 56.
♀. Auſtralis	1. 20. 40.
☿. Auſtralis	8. 36.

His iungebantur ex præcipuis fixis.	
Spica Virginis, Arcturus,	*in domo* 1.
Cauda Leonis,	*in* 12.
Cor Leonis, Cor Hydræ,	11.
Vterque Canis,	10.
Orion fere totus, Oculus Tauri, Capella,	*in* 9.
Caput Meduſæ, Caſſiopæia,	*in* 8.

Digitized by Google

PLENILUNIUM ECLIPTICUM ANNO IULIANO XLV.
29. Decemb. inter Natiuitatem & Circunciſionem Chriſti.

Iuxta Tabulas Rudolphinas ad Merid. Ieroſolymit.

Plenilunium Medium.

	D. H. ′ ″
Decembris	29. 0.25.50.

Ad hoc momentum	S. G. ′ ″
Verus locus Solis	9. 6.52.56.
Centrum Vmbræ	3. 6.52.56.
Fictus locus Lunæ	3. 5.22.16.
Centrum it longiùs	1.30.40.
Temp.proſth.adject.	2.42.57.

Plenilunium Verum.

	D. H. ′ ″
Decembris	29. 3. 8.47.

Ad hoc momentum	S. G. ′ ″
Cent.Vmb.corr.	3. 6. 59. 54.
Fictus locus Lunæ	3. 6. 59. 53.
Centrum it longiùs unico ſecundo; & ideo	1.

Nulla correctio temporis.

Æquatio completa, tollenda à vero Plenil. jam conſtituto, reſtat	6. 20.

Plenilunium Verum correctum & æquatum.

	D. H. ′ ″
Tempore Phyſico	29. 3. 2.27.

Poſt Meridiem.

Pro Latitudine.

	S. G. ′ ″
Cent.Vmb.corr.	3. 6.59.54.
Locus Nodi ☊.cor.	8.28.57.17.

Tolle hunc ab illo, reſtat

Verus motus latit.	6. 8. 2.37.
Tolle 6.ſigna,reſtat diſtantia à proximo Nodo	8. 2.37.
Vnde fit Arc⁹ inter cent.	44.26.

Pro Quantitate.

Ex ſumma ſemidd.	65′.34″.
Tolle arcum inter cent.	44.26.
Reſtat quantitas in ſcrup.	21. 8.
Vnde fit in Digitis	7.45′.

Pro Duratione.

Scrupula mediæ durat.	48. 13.
Tempus med.dur.	H.1.20′.40″.
Integra duratio	2.41.20.
Ieroſolymis adde	2.16. 0.

Fiet Eclipſeos


		D. H. ′ ″
Initium	Decemb. 29.	29.3.57.47.
Medium		29.5.18.27.
Finis		29.6.39. 7.

Poſt Meridiem.

TYPVS ECLIPSEOS.

SEPTENTRIO.

♌. ORIENS.



OCCIDENS. ☋.

MERIDIES.

PROBATIO.

PER QVADRATA.

In Triangulo A B C. Rectangulo in B.

' " *Radix. Quadratũ.*

AC.Summa ſem.65.34.3934.15476356.
AB.Arc° int.cent.44.26.2666. 7107556.

BC.ſcrup.med.dur.48.13.2893. 8368800.
Per 47. lib. 1. Euclid.

PER LOGARITHMOS.

3934.
2666.

Summa. 6600. 38195439.

Differ. 1268. 31031192.

Summa. 69226631.

Med.pars Sũm. $34613315\frac{1}{2}$
48'. 13". 2893.

Arcus ſemidiurnus fuit eo tempore Ieroſolymis hor. 4. 57'. 1". proindéque Sol occidit, & Luna orta eſt eádem illà horà 4. 57. 1. poſt Meridiem. Ab ea ergo hora uſque ad horam 6. 34'. 24". qua finem accepit, Eclipſis videri Ieroſolymis potuit, id eſt, per horam integram, & paulo plus quàm dimidiam.

Et hæc ea ipſa eſt Lunæ defectio, quam Ioſephus contigiſſe ait ante Herodis obitum, de qua nos ſuperiùs hoc libro circa finem Capitis tertij diſputavimus.

EPILOGVS.

IN calce hujus Operis cum ſenſu gratitudinis, & vero affectu humilitatis, quæ bona omnia, ſi quæ poſſidet, Divinæ gratiæ accepta refert, ſibi mala tribuit, quibus ſe plurimis obnoxiam & conſciam dolet, placet uſurpare iſtud Apoſtolicum: *Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* De die Supremo, & Natali Chriſti Opus inſtitui ad ejus gloriam, cujus gratiâ ad exitum duxi: quidquid in eo rite actum eſt, ejus luminibus debeo; quidquid perperam, aut cum vitio, ignorationi & erroribus meis imputo: de illis ago gratias, de his veniam precor. Subjicio mea quæ ſunt omnia Eccleſiæ & Superiorum judicio, paratus corrigere quod peccatum docuerint.

1. *Timot.* 1.

Regi ſeculorum immortali & inviſibili Chriſto Domino gratias ago, & ad ejus ſolius gloriam, ad quam ſum conditus, meas omnes cogitationes actionéſque dicatas volo.

Immortalis ille quidem & æternus Dei Filius, mortalem ſe in humanitatis noſtræ conditione fecit, inviſibilis viſibilem, naſcendo in carne quæ hominum oculis patebat; id quia voluit, quomodo & quando placuit, ſciens & volens libens effecit; Rex ſeculorum, & Dominus temporum, tempus elegit Nativitatis ut videretur, momentum fixit quo moreretur, non obnoxius neceſſitati temporis, non fati legibus, aut aſtrorum immutabili poſitione præpeditus.

Cœlum condidit, ſtellis illuminavit, lumine & virtutibus omnes inſtruxit, motum & ſtationes ſideribus ordinavit; dies, horas & momenta, quibus res quæque commodè fierent, ipſe pro ſua ſapientia & bonitate diſpoſuit, elegit ubi & quando inter homines appareret, ubi & quando

do vivere inter homines deſineret. Omnis hora, hora ejus eſt, & quia ab eo facta, & quia actionibus ejus liberâ voluntate electa, non quòd horæ aut temporis neceſſitati ſubjectus eſſet. Si quando dixit, *Tempus meum nondum aduenit*; & de eo alij, *Nondum venit hora ejus*; verè id dictum eſt, non de neceſſitate aut fato, ſed de voluntaria libertate. *Ioan. 7.* *Nondum venerat hora ejus*, ait egregiè Sanctus Auguſtinus; *hoc eſt, quia nolebat: non enim Dominus ſub fato natus eſt. Hoc nec de te credendum eſt; quantò minùs de illo per quem factus es? Si tua hora voluntas illius eſt, illius hora quæ eſt, niſi voluntas ſua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, ſed qua dignaretur occidi; tempus enim expectabat quo moreretur, quia & tempus expectare voluit quo naſceretur.* *Tract. 31. in Ioan.* Hæc ibi Sanctus Pater, ubi & docet eorum qui fata credunt corda fieri fatua, qui & ſæpe alibi contra Mathematicos Iudiciarios invehitur, & ubique eorum artem docet ab Eccleſia meritò damnari, & libros comburi, fatúmque nihil aliud eſſe quàm fraudem hominum in ipſis plateis & foro homines venantium; Chriſtum verò & Chriſtianos ſuarum actionum liberam habere poteſtatem, fato aut aſtrorum converſionibus nullo modo impeditam; quæ eſt mea, & ſemper fuit, de Aſtrologia & ſcientiis judiciariis conformis Religioni & veræ ſapientiæ ſententia. *Vid. Tract. 37. & 8. in Ioan.*

Quamobrem ſi explicando Nativitatis & Mortis Chriſti tempora, Solis & Lunæ defectiones uſque ad minuta ſecunda perſcrutor, ſi cœli poſitionem exquiſitiſſimam conſtituo, ſi Planetarum ſitus & aſpectus inquiro, ſi præcipuas ſtellas fixas, & domos cœleſtes quas incolunt, ſummâ diligentiâ examino; non id certè ad ſignificationem eventuum, aut rerum ipſarum quæ geruntur, ab iis cauſis dependentiam, inſtituo, ſed ad ſolius temporis certitudinem, qua nulla major in humanis haberi poteſt. Favere arti pernicioſæ nec debeo, nec volo, cujus inanitatem & fraudes novi, cujus præterea impietatem & facinora plurimi experiuntur. Fatentur omnes qui ſapiunt,

&

& qui Iudiciariæ regulas Artis penitus inſpexerunt, vel in ea nihil veri ſolidique prorſus ineſſe, multum erroris & fallaciæ: vel ſi quid veri, illud plerumque in Autorum pernitiem vel à Dęmone ſępe neſciente, ſępius conſcio & vindice, pronunciari; vel à Deo, in pœnam criminis poſtea puniendi, prędici: eoque magis timendum Artis execrandæ experimentum, quò inquirentibus vera profert, utentibus nocitura cùm venerint, & longè quoque antequam veniant, formidanda.

Scio Cœlis & ſideribus vim à Deo ſuam in hominum corpora tributam, non ſolius lucis & caloris. Solis & Lunæ patent effectus in maris æſtu reciproco, in cerebro & medullis animalium, in periodis morborum, in viribus plantarum, notisque ac proprietatibus lapidum, & metallorum, quæ non niſi ad peculiares aſtrorum influentias ręferri poſſunt.

Scio ex influxu ſuperiorum corporum regi inferiora, vivificari ſemina, & miſceri temperamentum quo corpora hominum conſtant, cùm eduntur in lucem, quandiu aluntur & creſcunt, quouſque etiam vitâ ſpirant, & ab anima informantur.

Scio ex temperamento corporum pendere inclinationes & motus animorum, & aliquando ſecundùm inclinationes fieri judicia morum, conditionis & fortunarum, non omnino fallentia.

Sed non ignoro ſimiliter judicia iſta plerumque mendacia, & hominum maximam partem vivere contra inclinationem, & vel ſapientiâ conſiliorum, vel officiorum neceſſitate, vel obligatione debiti, aliorum voluntatibus ſervire, ſive in artium diſciplinis, ſive in conjunctione matrimoniorum, ſive in Profeſſionibus Religioſis, in militia, in commertiis, in ſocietatibus, quibus fere in omnibus ſapiens quiſque & beatus mores fingit ad alterius voluntatem, & inclinatione debiti, naturæ pondus inflectit.

Dei gratia ubicunque eſt, aut mutat, aut vincit naturam, ſapientia mores innatos corrigit, diſciplina, ſtudium,

novi

Digitized by Google

novi habitus, conſuetudo, converſatio & ratio vivendi adeo motus animi & corporis ipſius habitudinem convertit, ſive in vitium, ſive in virtutem, ut ex naturalibus principiis nihil prorſus relictum videatur.

In temperamento corporis, & animi propenſione crediderim potiùs ſapienti Medico, quàm Aſtrologo. Ille ex colore cutis, ex pilis, ex fuſo ſanguine, ex oculis, & tota inſpectione corporis certiùs judicabit, an pituita, an bilis, an ſanguis, an melancholia in humoribus dominetur, quàm iſte ex Saturno, Iove, Marte, aut Luna in horoſcopo prçlucentibus.

Longè plus virium in filiorum temperamentum & inclinationes parentum ſanguis importat, quàm Iovis, Saturni, Mercurij, aut Veneris influxus. Similitudo vultuum, inclinatio animorum, & morborum ac ſignorum quorundam propagatio ex parentibus in filios tam certò vim ſeminis ad temperamentum, inclinationes & proprietates indicat, ut in canibus & equis fere ſemper, ſic in hominibus manifeſtam, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Et tamen nemo in horoſcopo Mathematicus patris temperamentum conſulit; nemo nobilis, ut equos & canes ad equitationem, bellum, aut venationem idoneos habeat, Mathematicos adhibet, aut quibus ſub ſtellis nati ſint inquirit. Communis eſt ratio corporum & inclinationum hominibus & brutis, æqualiter in omnium corpora cœlum & ſidera influunt. Cur ergo ſi horoſcopus in hominibus ingenium & temperamentum docet, non deſcribitur in animantibus, quas optimas quiſque optat, & carò emit? Cur, ſi in brutis animantibus non quçritur quæ ſtella dominetur, tam inſanè in hominibus contra leges Eccleſiæ & Religionis prçſcripta inveſtigatur? Conſule pro equis & canibus horoſcopum, ſi utilem ad temperamentum & inclinationes putas; ſi ſupervacaneum, deſine in hominibus examinare.

Quàm multi ſub Iovis ſtella, regios animos & fortunam in

in domo honoris promittente, abjecti animo, & fortunâ miſeri vixerunt? Quàm multos Mercurij favor aſpectu ad Solem benigno fefellit, & ſtupidos, elingues, & mente captos reliquit? Non omnes Martij ſub Martis dominatione; non omnes impudici ſub Veneris imperio: multos joviales Saturnus aſpicit, multos Luna deformes.

Commentitia planè eſt domorum cœleſtium partitio, fallax ſignorum deſignatio, ſeptem planetarum ad ſeptem hebdomadæ dies compoſitio & ordinatio facta eſt ad libitum, nullo ſolido vel apparente fundamento nixa. Sol non magis primæ feriæ, quàm ſeptimæ dominatur; Luna non minùs ſextæ, quàm ſecundæ favet. Mars, Mercurius & Iupiter proprios dies non habent, niſi fortuità vel inepta deſignatione.

Chriſtus elegit diem Nativitati ſeptimum hebdomadæ, Paſſioni ſextum, Reſurrectioni primum. Quid queſo in iis Sol, Saturnus, & Venus vindicare ſibi dominationis aut ſignificationis audebunt? Eos dies ſibi ſubjecit Dominus, ut voluntati ſervirent ſuæ, non ſe illis, ut eorum ſignificationibus ſubeſſet.

Cardanus. Sani non ſunt, qui horoſcopon Nativitatis & Paſſionis Chriſti formarunt, & in cœli poſitione quam finxerunt, vitam ejus & mortem ſignificatam dixerunt.

Keplerus. Falſi quoque ſunt & illuſi, qui inſignes conjunctiones Iovis, Martis, & Saturni, circa Chriſti Nativitatem factas obſervant, & Religionis mutationem deſignaſſe comminiſcuntur.

Rex ſeculorum, & Dominus temporum inviſibilis in ſe, viſibilis factus in noſtro corpore, immortalis in Divina natura, mortalis in humana, natus eſt in tempore, mortuus eſt in tempore, quo voluit, & quod elegit, ut nos eriperet è tempore, & ad æternitatem tranſcriberet. Liberavit nos ex temporis miſeriis & brevitate, de terrenis fecit cœleſtes, de mortalibus immortales, de miſeris beatos. Ipſi ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

RERVM ET VERBORVM.

A.

ÆRA Chriſti, & communis, eadem, *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 109. *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 109.

Æræ Chriſti, & communis, annorum conciliatio valde optata, *lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 101.

Æræ Chriſti uſus, & nomen datum Æræ communi ab omnibus, *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 109.

Æram Chriſtianam à Chriſto Chriſtiani nominant, *Proë. p.* 3.

Æra communis quid ſit, *lib.* 1. *p.* 5. à Nativitate & Circunciſione ducit exordium, *lib.* 1. *c.* 4. 4. §. 3. *pag.* 84. Ejus uſus prævaluit in Eccleſia correctis vitiis Calendarij Romani, *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 108. & 109.

Æræ comm. 33. anno Chriſtum paſſum. *Vide* Chriſti Paſſio.

Æræ communis primi anni characteres, *lib.* 1. *pag.* 5.

Æra Dionyſiana ſolùm differt à communi in primo anno ſeu capite, *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 108.

Africanus duobus annis aberrat in anno Paſſionis Chriſti, *lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. *pag.* 52.

A.

Anni diverſæ rationis quomodo componendi, *lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 8. & *ſeq. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 124.

Anni Iuliani, & Æræ communis, tutiſſimi, *lib.* 3 *c.* 4. *pag.* 175.

Annus primus Iulianus poſt Calendarij à Iulio reformationem, *lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 24. Habet rationem biſſextilis, *ibid.* & *ſeq.*

Annus Iulian⁹ 46. concurrit cum 1. Chriſti, *lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 113.

Annorum Vrbis conditæ diverſa ratio, *lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 119. Ex illorum connexione cum aliis, habetur connexio cum annis Chriſti, *ibid.*

Artaxerxes cum patre regnavit, *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 37. In ejus morte Solis Eclipſis contigit, *lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 34. & *ſeq.* Circa ejus regni annos Autores conciliantur, *ibid. pag.* 37.

Artaxerxis 20. initium 70. hebdomad. pag. 33.

Aſtrologia Iudiciaria damnata in Epilogo, *pag.* 197. & *ſeqq.*

Auguſti Imperij exordium in morte Iulij, Olymp. 183. 4.

anno Iuliano 2: *lib.3.cap.1.pag.* 113. Et de aliis temporum notis circa idem, *ibid.& ſeq.* Mors ejus, & initium Imperij Tiberij, anno Iul. 59. *lib.1.c.2.p.25.*

Auguſti anno 44. Nativitas Chriſti, *pag.* 112. *& ſeqq.*

Auguſti & Herodis anni inter ſe compoſiti, *l.3.c.3.§.5.pag.167.*

B.

BARONIVS in quibuſdam hallucinatus, *lib.1.c.4.§. 3.pag.* 86.& 87. Biennio aberrat in Chriſti Paſſione, *lib3. cap.3.§.* 4. *pag.*145. In Baptiſmo, *ibid.* & in Nativitate, *ibid. pag.*146. 147. *& c.4. pag.*170. Errorem errore correxit, *ibid.cap.3.§.4. pag.*147. & minùs attentè Euſebij locum ſecutus eſt, *ibid. & ſeqq.*

Baronij reſponſio ad Ioſephi opinionem, Herodis regnum inchoandum anno Iuliano 15. *Ibid. §. 5. pag.* 154.

Beda favet anno 33. à Circunciſione, quo Chriſtus paſſus, *lib.1.cap.4.§.3.pag.*84. Ejus difficilis locus illuſtratur, *ibid. & ſeqq.* & corrigitur, *ibid. pag.*86. Conciliatur cum Dionyſio, Syncello & aliis, *ibid.*

Bucherij ſentent. de morte Chriſti anno Iuliano 31. *Vide* Chriſti Paſſio.

C.

CAIVS, Auguſti nepos, Conſul anno 1. Chriſti, *lib.3. c.2. pag.* 123. Romà ejus diſceſſus non improbabilis anno Iul.46. *lib.3.cap.3.§.3. pag.*157. *& ſeqq.*

Sethi Calviſij rationes contra Keplerum optimæ, *lib.1.cap.4. §.2. pag.*50.

Calviſius Scaligeri ſectator, *l. 3. cap.3.§.4.pag.*152.

M. Anton. Capellus annos Iulianos cum Olympiadib⁹ minùs aptè connectit, *lib. 3. cap. 3. §.* 2. *pag.* 140.

Ejus ſententia de morte Chriſti anno 31. Æræ com. *lib.1.cap.4. §.2.p.*52. Reſpondetur ad huj⁹ ſententiæ fundamenta, *ibid.*

Ejus ſententia de Nativitate Chriſti eadem quæ Kepleri, *lib.3.cap.3.§.2.pag.* 139.

Caſſiodoro natus Chriſtus Auguſti 43. *l.3.c.3.§.2. p.*141.

CHRISTVS ex Ægypto non ſtatim ab Herodis obitu rediit, *lib. 3. cap.3.§.4. pag.*166.

Chriſtus non comedit agnum ante alios Iudæos, *lib. 1. cap. 4. §.2.pag.*68. Græci communiter affirmant, *ibid.* Latini plerique negant, *ibid.& pag.*69. Et licet comediſſet ante Iudæos, hoc non probat id factum anno Æræ com. 31. *Ibid. pag.* 71.

Ad

Digitized by Google

Ad primum annum Chriſti, ut ad caput, alij omnes priores & poſteriores revocandi, *lib.3.c. 4. pag.* 168.
Primus Chriſti à morte Iulij, Auguſti 44. nondum finitus Cal. Ianuariis, *lib.3.c.* 1. *pag.*115. & de aliorum temporum notis, quæ eodem ſpectant, *ib. & ſeq.*
Chriſtus baptizatus anno ætatis 30. inchoato, *lib.2.c.2. pag.*99. 101. 102. & 103. Æræ communis 30. inchoato, *ibid. p.*104. Tiberij 16. *ibid. p.*103. & 104. non 15. *lib.1. cap.4. §.3. pag.*77. neque ſub Conſulatu Geminorum, *ibid. §.2. pag.*45. ſed Vinicij, *lib.3. cap.2. pag.*121.
Baptizatus feria 6. *l.3.c.4.p.*175.
Inter Chriſti Baptiſmum & Paſſionem tres anni inter quatuor Paſchata, *lib.2.cap.1. pag.*93.
Circunciſus C. Cęſare & L. Paullo Coſſ. *lib.3.cap.2.pag.*122. *ibid. cap.* 3. *§.* 5. *pag.* 160.
Natus & Circunciſus ad initium Æræ communis, *lib.3.pag.*111. quod conſtat ex ejuſdem morte anno 33. ætat. & Æræ com. *ibid.*112. Die Sabbathi, *ibid. cap. 4. pag.* 175.
Nativitas & Circunciſio Chriſti propter vicinitatem ad caput Æræ pertinent, *l.3.p.*111. 112.
Nativitas & Circunciſio Chriſti anno 4. Olymp. 194. *lib.3.cap.1. pag.*112. & 113. Vrbis conditæ Varroniano 753. nondum finito, *ibid. cap.2. pag.*120. juxta calculum Cenſorini, Solini, Caſſiodori, Velleij Paterculi, *ibid. & pag.* 121. 122.
De Natali anno Chriſti variæ ſententiæ, *l.3.cap.3. §.2. p.*138. In quo Chronologi biennio diſſident, *ibid. pag.*117.
Primus Chriſti pręcedit primum Æræ communis Dekerio 4. annis, eſtque Iulianus 42. *ibid. pag.*138. Keplero quinque, eſtque 41. Iulianus, *ibid. pag.* 139. Vt & Capello, *ibid.*
Chriſtum natum ponens anno Iuliano 44. ſententia refellitur, *l.1. cap.3. §.3. pag.*142. In Syncello, *ibid.* In Onuphrio & Hervuarto, *ibid. pag.*143.
Chriſtus natus 30. anno Auguſti juxta rationem Ptolemæi, *l.3. cap.1. pag.*117. 28. juxta Clementem Alexandrinum, & juxta Cenſorini computum, *ibid. & pag.*118. 44. juxta Sexti Rufi computum, *ibid. pag.*116. Coſſ. Lentulo & Piſone, *lib.3. cap. 2. pag.* 122. Herodis regni anno 37. *l. 3. cap. 3. fere toto.*
Fides Evangelij tenenda in Chriſti Nativitate, *l.3.cap.3.§.4.pag.*161. In edicto Auguſti, & deſcriptione Cyrini, *ibid. & ſeqq.*
Natum ante Herodis mortem de

fide eſt, *ibid. pag.* 129.
In Chriſti Nativitate non eſt cauſa recedendi à communi Eccleſiæ ratione, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 173.
In Chriſti Nativitate Poſitio Cœli, *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 193.
Paſſum Chriſtum qui ſentiant anno 30. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 1. *pag.* 42. Æræ communis 29. *ibid. p.* 43. & ſub Geminis Conſulibus, *ibid. pag.* 42.
Paſſio Chriſti non potuit eſſe in anno 15. Tiberij, *ibid. pag.* 44. nec ſub Conſulatu Geminorum, *ibid. pag.* 45. nec anno 29. aut 30. Æræ communis, *ibid.*
In Paſſione Chriſti Poſitio cœli, *lib.* 3. *c.* 5. *pag.* 190.
Anno 31. Æræ communis Chriſtum volunt paſſum Dekerius, Keplerus, Petavius, P. Ægidius Bucherius, & alij, *ibid. pag.* 45. & *ſeqq.* Pro hac ſententia antiquorum authoritas deficit, *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *pag.* 72.
Annus 32. Æræ communis Paſſioni Chriſti non idoneus, *ibid.* §. 3. *pag.* 77.
Annus 33. ætatis & Æræ communis ſolus Paſſioni convenit, *l.* 1. *cap.* 1. *pag.* 10. 13. *cap.* 2. *pag.* 29. *cap.* 3. *pag.* 39. 40. *l.* 2. *c.* 2. *pag.* 102. *l.* 3. *c.* 4. *p.* 168. Horum annorum neceſſaria connexio, *l.* 2. *c.* 3. *pag.* 107. Iuxta ſentent. Syncelli & Bedæ, *ibid.* In hac ſententia eſt Euſebius correctus, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 168. & 169.
Tiberij 19. currens Paſſioni Chriſti convenit, *l.* 1. *c.* 2. *pag.* 24. & 29. 4. Olymp. 202. *ibid.* & *p.* 30. Iulianus 78. *ibid. pag.* 30. & 31. 70. hebdomadæ annus 4. *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 39. & 40.
Characteres anni 33. Æræ communis, quo Chriſtus paſſus, ſunt Plenilunium & feria 6. *l.* 1. *c.* 1. *pag.* 7. & *ſeq.*
Pro hoc anno non pauciores aut minùs illuſtres Autores numerantur, quàm pro anno 44. *lib.* 1. *c.* 4. §. 3. *pag.* 86. Hæc ſententia caret erroribus extremarum ſententiarum, *lib.* 3. *c.* 4. *pag.* 171. conſentientibus adverſariis Petavio, Scaligero, Keplero & Voſſio, *ibid.* & *pag.* 172.
Aſtronomiæ leges conſentiunt in anno mortis Chriſti 33. Æræ com. *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 57.
Anno 34. Æræ communis paſſum Chriſtum multa probare videntur, *l.* 1. *cap.* 4. §. 3. *pag.* 78. & *ſeq.*
Expreſsè deffendunt Baronius, Mariana, Philippæus, *ibid.*
Non illis favet menſis Martius, nec 25. ejus dies in commemoratione boni Latronis, nec opinio Græcorum, aut Infidelium, *ibid. pag.* 83.

Characte

Characteres Evangelici anno 34. non conveniunt, *ibid. pag.* 79.

Annus 35. Paſſioni non congruit, *l.* 1. *c.* 4. *pag.* 88.

Anno 36. favet Paulus Middelburgenſis, *l.* 1. *c.* 4. §. 4. *pag.* 88. quia habet characteres Evangelicos in menſe Martio, *ibid.* & *ſeq.*

Anno 36. non convenit annus Paſſionis, Olympiadis, & Tiberij, *ibid. pag.* 89. & 90.

A morte Auguſti ad Chriſti Paſſionem anni fere 19. probantur intervallo duarum Lunæ Eclipſium, *l.* 1. *c.* 2. *pag.* 30.

De Chriſti Paſſione dicta pertinent ad Baptiſmum, *l.* 1. *cap.* 4. *pag.* 44.

Chriſti Paſſio in menſe Martio non ſolidè probatur, *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *pag.* 52. & *ſeq.* in menſe Aprili ſolidè probata à Toſtato, *ibid.* 53. quam vult Epiphanius contigiſſe Martij 20. *Ibid. pag.* 60.

Contigit feria ſexta, *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 175.

A Novilunio Ianuarij anni 1. Iuliani ad Novil. April. 3. quo paſſus Chriſtus, anni intercedunt 77. & menſes tres, *lib.* 1. *c.* 2. *pag.* 30. & 31.

Chriſti Predicatio inter quatuor Paſchata comprehenditur, *l.* 2. *c.* 1. *pag.* 93. 94. 95. 96.

Sententia de quatuor Paſchatis in Prædicatione Chriſti, media, & omnium optima, *ibid. pag.* 96.

Autores pro tribus annis Prędicationis Chriſti, S. Ignatius, Euſebius, *ibid. p.* 96. Philoponus, *ibid.* 97. & *ſeq.* Syncellus, Epiphanius, *p.* 98. Toſtatus, Dekerius, 98. 99.

Chriſti ſepulturæ 3. dies & 3. noctes ex parte intelligendi, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 7.

Chronicon Alexandrinum rectè ſentit de Nativitate & Morte Chriſti, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 169.

Clementi Alexandrino natus Chriſtus Iuliano 43. Auguſti 42. *l.* 3. *c.* 3. §. 2. *p.* 140.

Codomanus in computando anno Paſſionis Chriſti biennio aberrat, *l.* 3. *c.* 3. §. 4. *p.* 148.

Cyclus Iudaicus legitimus circa ætatem Chriſti, ex Ioſepho, *l.* 1. *c.* 4. *p.* 62. Quo Iudæi antiquiores uſi ſint ignoratur, *ibid.* & *pag.* 63.

Cycli Iudaici vitium ab Epiphanio aſſeritur, *lib.* 1. *c.* 4. §. 2. *pag.* 61. Fundamentum eſt ſententiæ de anno Paſſionis 31. Æræ communis, *ibid. pag.* 56. Sed refellitur fusè, *ibidem* & *ſequentibus.*

Dekerius

Digitized by Google

D.

DEKERIUS falſus in anno Baptiſmi Chriſti 15. Tiberij, *l.* 2. *c.* 2. *p.* 104.
Dekerij ſententia de Chriſti Nativitate anno Iuliano 41. *l.* 3. *c.* 3. *§.* 5. *p.* 153. Ejus rationes, *ibid.*
Ejus ſententia de Chriſti morte anno 31. Æræ communis, *l.* 1. *c.* 4. *§.* 2. *p.* 46. Ejus rationes, *ibid. pag.* 47.
Ejus ſenſus circa 70. hebdomadas, *l.* 3. *c.* 3. *p.* 38.
Dionyſius Æram Chriſti ab Incarnatione inchoavit, *l.* 1. *c.* 4. *§.* 3. *pag.* 84.
Ejus error in Chriſti Nativitate corrigitur, *l.* 3. *c.* 1. *p.* 115.
Dionyſiana methodus ad Incarnationem Chriſti aptata, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 172. à Beda recognita, & ad Nativitatem accommodata, *ibid.* Communis eſt Eccleſiæ Romanæ, *ibid. & ſeq.*

E.

ECLIPSIUM ratio tempora fortiſſimè connectit, *lib.* 1. *c.* 2. *pag.* 30.
Eclipſis Lunæ celebris 27. Septembris, anno Iuliano 59. *l.* 1. *c.* 2. *pag.* 25.
Eclipſis Lunæ mortem Herodis præcedens, *l.* 3. *c.* 3. *§.* 4. *p.* 164. Non reperitur in 43. Iuliano, *l.* 3. *c.* 3. *§.* 1. *p.* 130. Sed in 45. *ibid. p.* 164. & 165. Ejus Epilogiſmus, *ibid. c.* 5. *p.* 194.
Eclipſis Lunæ die paſſionis Chriſti, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 13. à diverſis Autoribus obſervata, *ibid. & ſeq.* mirabilis viſa, *lib.* 3. *c.* 5. *p.* 191. & 192. Ejus Epilogiſmus, *ibid. pag.* 188.
Eclipſis Lunæ anno Darij 31. *l.* 1. *c.* 2. *p.* 35. & 36.
Eclipſis Solis Chriſto patiente, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 14. & 15. convictio fuit Chriſti Divinitatis, *ibidem.* à Patribus obſervata, *ibid. pag.* 16. à Phlegonte notata, *ibid. pag.* 17. à Philopono explicata, *ibid. p.* 17. & 18. à Romanis nota & celata, *l.* 3. *c.* 5. *pag.* 191.
Epilogiſmus Eclipſis Solis anni 1654. 12. Auguſti, *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 182.
Eclipſis Solis in morte Artaxerxis, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 34.
Epiphanij ſententia de die Nativitatis, & Baptiſmi Chriſti ſingularis, *l.* 1. *c.* 4. *§.* 2. *p.* 59. De Chriſti Baptiſmo & morte veriſſima, *l.* 2. *c.* 2. *pag.* 105. Baptiſmum vult contigiſſe anno ætatis 30. non completo, *ibid. pag.* 16. Mortem poſt 32. & aliquot menſes à Nativitate

tivitate, *ibid.*

Epiphanij ſuffragium pro anno 31. nullum eſt, immo contrarium pro anno & die, *l.* 1. *c.* 4. ſ. 2. *p.* 58. Nec convenit cum Synodo Palęſtina, *ibid. p.* 57. & 58. Ejus textus obſcurus & vitioſus ſuis Autoribus non prodeſt, *ibid. p.* 61.

Epiphanius Reſurrectionē Chriſti factam vult die Æquinoctij & Plenilunij, *l.* 1. *cap.* 4. ſ. 2. *p.* 60.

Euſebius cenſet Chriſtum natum anno 42. Auguſti, *l.* 3. *c.* 1. *p.* 116. *c.* 3. ſ. 2. *p.* 140. & 141. Duobus annis aberrat, *ibid.* ſ. 4. *p.* 145.

Ejus ſententia de morte Herodis, *l.* 3. *c.* 3. ſ. 1. *p.* 137.

Euſebij vitioſus locus correctus, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 19. & 20. Scaligero ſtipulante, *ibidem p.* 21. & 22. cum Chronico Alexandrino, *ibidem*. Philopono & Syncello conſpirantibus, *ibid. p.* 21.

F.

FERIARVM diſtinctio per ſeptem dies Iudæis propria, *l.* 1. *c.* 4. ſ. 3. *p.* 82. ubique ſecundùm illos ordinata.

H.

70. hebdomadæ Danielis character Paſſionis Chriſti, *l.* 1. *c.* 3. *p.* 31. variè à variis expoſitæ, *ibid.* explicantur dilucidè, *ibid. p.* 33.

70. hebdomadarum initium, ante primum Æræ communis anno 454. *ibid. p.* 35. in anno 20. Artaxerxis Longimani, qui fuit Aſſuerus, *pag.* 33. & 34. Confirmatur Eclipſi Lunæ, *p.* 35. 56. & ex ſerie aliquot annorum Regum Perſarum, *ibid.*

Finis, anno 36. Æræ communis, *ibid. p.* 35.

Herodis anni cum annis Auguſti compoſiti, *l.* 3. *c.* 3. ſ. 4. *p.* 167.

Herodis regni initium anno Iuliano 9. *l.* 3. *c.* 3. ſ. 5. *p.* 154. & 155. Finis anno Chriſti 1. *pag.* 155. & 156.

De Herodis morte ſententiæ variæ varias pepererunt de Chriſti Nativitate, *l.* 3. *c.* 3. ſ. 2. *p.* 138. Contigit ſecundùm Ioſephum anno 43. Iuliano, *ibid. p.* 130. Refellitur, *ibid.* ſ. 4. *p.* 163. Contigit re verà anno Iuliano 46. *ibidem, pag.* 164.

Hervuartus in pluribus hallucinatus, *l.* 1. *c.* 4. ſ. 3. *p.* 87. refellitur, *ibid.* Error ejus in morte

Digitized by Google

Auguſti convincitur, *ibid. c.* 2. *p.* 27. & 28.
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cur non ubique cum Paſſione Chriſti conveniant, *l.* 1. *c.*4. *ſ.*2. *p.*73.
Hora Chriſti, voluntas ejus, *in Epilogo*, *p.* 197.

I.

IEROSOLYMITANA clades anno Iuliano 70. certiſſimè contigit, *l.*1. *c.* 4. *ſ.* 2. *p.* 73. Errant qui illam ponunt 70. anno poſt Chriſti Paſſionem, *ibid. pag.* 74.
Ioſephus manifeſtè fallitur, *l.* 3. *c.* 3. *p.* 132. In ejus teſtimonio nulla fides, *ibid.* Ejus fides inconſtans in annis Herodis, *ibid. p.* 134. Annos inchoatos pro integris non uſurpat, *ibid.* 135.
Ioſephi error in annis Philippi, & Archelai deportatione, *ibid. ſ.* 5. *p.* 156.
Ioſephus conſilio malo tacuit cædem Infantium, *ibid. p.* 160. & Quirini deſcriptionem in Chriſti Nativitate & aliis rebus geſtis, *ibid.*
S. Irenæus cenſet Chriſtum natum anno Iuliano 43. *l.* 3. *c.* 3. *ſ.* 4. *p.* 141. & 144.
Iſidorus Peluſiota commodè ſentit de initio 70. hebdom. at non de fine, *l.* 1. *c.* 3. *p.* 39.
Iulij mors, & initium Imperij Auguſti anno 2. Iuliano, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 25.
Iulia relegata anno Iuliano 45. *l.* 3. *c.* 3. *ſ.* 5. *p.* 158. Id commodè explicat Velleius, *ibid.* in quo Dioni nulla fides habenda, *ibid.* & *ſeq.*

K.

KEPLERI ſententia de morte Chriſti, initio pro anno 33. Æræ communis, *l.* 1. *c.* 4. *ſ.*2. *pag.* 48. poſtea pro anno 31. *ibid.* & *pag.*49. Ejus error corrigitur circa locum Euſebij, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 23.
Keplerus falſus in anno 33. ætatis Chriſti, *l.* 2. *c.* 2. *p.* 104.

L.

LANGIVS biennio aberrat in computando anno Paſſionis Chriſti, *l.* 3. *c.* 3. *ſ.*4. *p.* 148.
Langius temerè feriam 5. Chriſti Paſſioni tribuit, *l.* 1. *c.* 1. *p.*7.
Ioan. Lucidus corrigitur in Chriſti Nativitate, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 169. Ejus error circa 1. Tiberij, & initium Olympiadum, & cauſa errandi, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 25. corrigitur, *ibid. p.* 23.
Lucidus corrigendus in anno Tiberij 15. in Chriſti Baptiſmo

Digitized by Google

mo, *l.* 2. *c.* 2. *p.* 102. Commodè ſentit de 70. hebdomadibus, *l.* 1. *c.* 3. *pag.* 38. & 39.

M.

MENSIS Martius non eſt character Paſſionis, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 10. 11. *ibid. c.* 4. §. 4. *p.* 89.
In menſe Martio Mors Chriſti & Boni Latronis non ſolidè probatur, *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 52. & 53.
Martius pro Niſan malè aliquando uſurpatur, *ibid. p.* 55.
Mors Chriſti. *Vide* Chriſtus paſſus.

N.

NATIVITAS Chriſti. *V.* Chriſtus natus.

O.

OLYMPIADVM anni certiores annis Conſulum & Vrbis conditæ, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 28. 29. *l.* 3. *c.* 4. *p.* 174. 175.
Olympiadis 1. ludi celebrati, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 29.
Olympica celebrantur proximo poſt Biſſextilem anno, *lib.* 1. *c.* 2. *pag.* 25.
Olympiadis 202. annus 4. in 33. Æræ communis incidit, *ibid.*
Olympia celebrata ſunt anno 2. Iuliano, *ibid. p.* 25.
Onuphrij hallucinatio corrigitur circa Baptiſmum Chriſti, *l.* 2. *c.* 2. *pag.* 103.

P.

PASCHÆ anticipatio contra legem eſt, *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 69.
Paſcha non celebratur ante Plenilunium, *ibid. p.* 64. & 65. nec ante Æquinoctium, *ibid.* immo fuit illud prohibitum, *ibid. p.* 63. Celebratur poſt Æquinoctium, *ibid. p.* 65.
Paſchatis celebrandi lex manavit ab exitu ex Ægypto, qui contigit poſt Æquinoctium Vernum in Plenilunio, *l.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 65. Violatur ab iis Autoribus, qui ponunt Chriſtum agnum comediſſe 22. Martij, *ibid. p.* 66. & Epiphanium accuſant, *ibid. p.* 67.
Paſcha celebrabant ſimul Iudæi omnes, *l.* 1. *c.* 4. *pag.* 70. Perturbatâ anticipatione ex Sancto Epiphanio Paſcha celebrarunt, *ibid.* non Chriſtus ante illos, *ibid. p.* 71. ſed eâdem die notâ & conſuetâ, *ibid.* primâ ſcilicet die Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, *ibid.*
Paſchatis nomine cibi Paſchales intelliguntur, *ibid. p.* 69. 70.
Paſchale Sacrificium ubique Chriſtiani omnes unâ nocte

offerunt exemplo Chriſti, *ibid. p.* 70.
Paſſio Chriſti. *V.* Chriſtus paſſus.
Paulus Middelburgenſis, Epiſcop⁹ Foroſempronienſis, vult Chriſtum mortuum menſe Martio, *l.* 1. *c.* 1. *p.* 10. & anno 36. Æræ communis, *l.* 3. *c.* 4. *ſ.* 4. *p.* 88. & 89.
Periodi Iulianæ annus 4714. convenit cum 1. Chriſti, *pag.* 113.
Petavij error corrigitur circa locum Euſebij, *lib.* 1. *c.* 2. *p.* 22. & 23. Ejus error circa medium hebdomadis 70. confirmat mortem Chriſti anno 33. Æræ communis, *l.* 2. *c.* 3. *pag.* 37. & 38.
Petavius falſus eſt in anno 33. ætatis Chriſti, *l.* 2. *c.* 2. *p.* 104.
Petavij lapſus excuſandus, *l.* 3. *c.* 3. *ſ.* 2. *p.* 139.
Petavij ſententia de morte Chriſti anno 31. Æræ communis, *l.* 1. *c.* 4. *ſ.* 2. *p.* 51. Hujus ſententiæ fundamenta, *ibid.*
Petavij ſententia de erroribus veterum ſine examine receptis, *ibid. p.* 53.
P. Philippæus partim ritè, partim minùs, ſcribit de anno Chriſti Paſſionis, *l.* 3. *c.* 3. *ſ.* 4. *p.* 148.
Phlegontis autoritas in anno Paſſionis Chriſti, *l.* 1. *c.* 2. *p.* 16.
Pilati acta viſa ab Epiphanio, *l.* 1. *c.* 4. *ſ.* 2. *p.* 60.
Plenilunium Paſchale duplex anno Chriſti 34. *l.* 1. *c.* 1. *p.* 13.
Plenilunium Martium Paſchale non fuit anno 34. Æræ communis, *l.* 1. *c.* 4. *ſ.* 3. *pag.* 79.
Plenilunij Paſchalis in Meridiano Ieroſolymitano Tabula, *lib.* 1. *c.* 1. *pag.* 8. & 9.
Plenilunij Ecliptici Epilogiſmus anno 1654. *lib.* 3. *c.* 5. *p.* 186. anno Mortis Chriſti, *p.* 188. anno Nativitatis, *p.* 194.
Poſitio Cœli in Synodo Ecliptica anno 1654. *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 185. in Morte Chriſti, *ibid. p.* 190. in Nativitate Chriſti, *ibid. pag.* 193.
De Principum ſuorum ortu & obitu diſputant Profani, *in Proëm. p.* 2. & 3. & ab iis Æras temporum ducunt, *ibid.*

R.

De Religionis Chriſtianæ interitu poſt annos 365. opinio Gentilium, *l.* 1. *c.* 3. *ſ.* 3. *p.* 78.
